



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita S. Libori[i], Cenomanensis Qvondam Episcopi: Nunc  
Paderbornensivm Tvtelaris Divi**


[S.l.], [ca. 1650]


**urn:nbn:de:hbz:466:1-45568**



Th. 259 07

Innumerq Bibliotheca  
Fratu Capucinoꝝ  
Paderborne.





V I T A I  
S. LIBORI  
CENOMANENSIS QVON-

DAM EPISCOPI:

*J. Capucinarum Paderbornensium*  
Nunc

PADERBORNENSIVM  
TVTELARIS DIVI.



CAPVT I.

*Sacros Praesules summum esse Dei munus.  
Horum officium: Verbo, Exemplo, Patro-  
cinio praire ad salutem; Vnde Angeli &  
Stella dicti.*



VAMVIS multifa-  
riam, modisque in-  
effabilibus supernæ  
bonitatis erga salu-  
tem humani gene-  
ris pia dispensatio  
cognoscatur, in hoc tamen maxi-  
A mis

*Episcopi po-  
pulo quid  
conferant.*

*Ephes. 6.  
v. 12.*

*Ioann. 1. 4  
v. 13.*

*Ioan. 15 7.*

mis clarere videtur iudicijs, quòd Ecclesię suæ in hac mortali conuersatione pro æternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defensoresq; prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari, quorum meritis & intercessionibus possit in perpetuum adiuuari. Omnibus enim, qui in procinctu fidei positi, agone militiæ Christianæ, *contra spirituales nequitias iugiter colluctantur*, quid utilius esse credatur, quàm illorum imitandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone legitimè certantes, perpetuam adepti sunt victoriæ coronam? Quid felicius, quàm eorum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petierint, præstanda veritas ipsa promittit? De his enim loquimur, qui verè in CHRISTO manentes, eiusq; in se verba manere facientes, illud consecuti sunt præmium, quod ipse promisit, dicens: *Quodcūq; volueritū petetis, & fiet vobis*. Hoc eqdē licet ad Apostolos specialiter dictum

dictum sit, pertinet tamen nihilo-  
 minus etiam ad alios quosque ex-  
 cellentiâ sanctitatis insignes: illos  
 præcipuè, qui Apostolorum tam  
 meriti, quàm officij successione sub-  
 limati, perenni refulgent gratiâ sa-  
 cri Præsulatus. Hi namque tanto fa-  
 ciliùs à DEO quælibet impetrant,  
 quanto ei & per puritatem conuer-  
 sationis, & per sublimitatem sacri  
 Ordinis appropinquant. Nec du-  
 bium quin plurimùm illorum pre-  
 ces apud Dominum valeant: quo-  
 rum ipse potestatem tantum in  
 cœlo terraque valere concessit, vt  
*quicquid hic ligarent, maneret ibi ligatum: Matth. 18.*  
*quicquid hic soluerent, esset protinus ibi solutū. 18.*  
 Præterea illorum officij dignitatem  
 ipse inhabitator & consecrator eo-  
 rum Spiritus sanctus ostendit, qui  
 per Prophetam Malachiam loqui-  
 tur, dicens: *Labia Sacerdotis custodient Malach. 2o*  
*scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia v. 7.*  
*angelus Domini exercituum est.* Hinc in  
 Apocalypsi Ioannis, Ecclesiarum  
 A 2 Præsu-



*Apoec. 1. 20.* Præsules non nisi *Angeli* vocantur, signati per septem *Stellas*, in C H R I S T I dexterâ demonstratas: Sunt enim *Stellæ*, quia virtutibus radiât: *Angeli* quia mandata diuinæ iussio- nis annunciant. Constat igitur eos non parum transcendere modum infirmitatis humanæ, quos toties Scriptura sancta non dubitat An- gelos appellare. Ipsorum verò in Ecclesia Principes & primi Propa- gatores, Apostoli fuêre, qui post gloriosam Domini nostri I E S U C H R I S T I ad coelos Ascensio- nem, iuxta promissionē ipsius, san- cti Spiritus infusione roborati, & scientiâ omnis veritatis instructi, in diuersas Mundi totius penè pro- fecti sunt regiones, Verbum salutis annunciantes vbique, & tam Mira- culorū signis, quàm Prædicationum hortamentis id in breui efficientes, vt quemadmodum egregius olim *Actor. 2. 42.* *Psal. 18. 5.* Propheta præcinuit, *In omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.*

*eorum.*

## S. LIBORI.

*eorum.* Ex eorum igitur salutaribus  
coelestibusque doctrinis, quas ab i-  
pso fonte veritatis largiter haufe-  
rant, Ecclesiasticorum ordinum re-  
gule, diuini cultus institutio, & tota  
Catholicae Religionis obseruatio  
sumpsit exordium.

## CAPVT II.

*Summa Diui Liborij sanctitas adserta: &  
Historia huius, seu Vita indubitata fides.*

**P**OST quos multi per or-  
bem Ecclesiarum Presules,  
illorum in omnibus vesti-  
gia secuti, & eorum non mi-  
nùs virtutum gratiam, quàm  
ordinis dignitatem adepti, ean-  
dem tenuerunt in fide sincerita-  
tem, in doctrinae studio vigilan-  
tiam: quâ & fidelium mores corri-  
gerent, & infidelium mentes ab er-  
rore conuerterent. In quo plures  
eorum tantum Domino placuisse  
A 3 noscun-

*Liborius  
Cenomano-  
rum Prae-  
suh.*

*Matt. 5. 16.*

noscentur, vt clarissimis vsque ho-  
die miraculis coruscare videantur.  
Ex quorum glorioso collegio Vir  
magnificus & incomparabilis exti-  
tit sanctitatis Liborius, Ecclesie Ce-  
nomanicæ Presul, cuius modò pro-  
posuimus Vitam & transitum bre-  
uiter commemorare: vtile ac fru-  
ctuosum fore legentibus arbitrati,  
eius vitam actusque cognoscere,  
quem sequendo, possint in diuinâ  
seruitute proficere. Eius etenim vi-  
ta nihil aliud erat, nisi quoddam  
coelestis conuersationis indicium,  
Christianæ religionis exemplum,  
virtutis ac fidei documentum. Vn-  
de quoniam ipse Dominicum illud  
impleuit præceptum: *Luceat lux vestra  
coram hominibus, vt viderent opera vestra bo-  
na, & glorificent patrem vestrum qui in caelis  
est:* nobis in vitæ mortalis errore de-  
gentibus enitendum valde solerti i-  
mitatione videtur, vt qui vitiorum  
& ignorantie tenebris obfuscamur,  
lucifluis bonorum eius operum ra-  
dijs

dijs illustremur. Nec nos quisquam existimet in eius laudibus à veritatis aut moderationis tramite deuiare, cum nulla, nisi à veracibus scriptis seu relationibus comperta, proferamus: nec eum dignè à mortali linguâ posse laudari, ipse cum quo nunc immortaliter regnat, Deus visibili palam ostensione declaret. Testatur namque, cunctis eum virtutibus, atque omni vitæ merito acceptum sibi fuisse viuentem, dum defuncti Reliquias evidentissimis miraculorum signis frequenter glorificare non desinit. Ex quo datur intelligi hac eum gratiâ nequaquâ in præfenti vita caruisse, quamuis inde specialia literarum indicia qualibet ex causa non habeantur. Siue enim, quod familiaris sanctis omnibus semper humilitas persuadet, vt ea, quæ sibi ante humanos oculos laudi & gloriæ videri valent, celari abscondique desiderent, hoc ipse præ ceteris obtinuerit; siue ge-

*Scripti huius  
ius candor  
& fides.*

sta signorum virtutumq; illius descripta quidem plenius, sed casu quolibet posterorum notitiæ subtracta fuerint: siue aliud quid causæ fuerit, ignorantes; liquidò tamen credimus, eiusdem sancti Spiritus gratiam, qui toties ante eius sacrosancta pignora præclarum sui charismatis donum, operationem scilicet virtutum, ad ipsius demonstranda merita exhibere dignatur, eidem in carne posito minimè defuisse.

*Gesta Præ-  
sulum Ce-  
nomanorū.*

Non tamen desunt etiam certa de eius meritis apicum monumenta. Habentur enim gesta Pontificum eiusdem, cui præfuit, Ecclesiæ Cenomanicæ, simplici eloquio & absque omni næuo figmenti, fidei narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vitæ series replicatur, sed quis cui successerit, cuius meriti fuerit, quot annis Ecclesiam rexerit, breuiter est annotatū. Huius verò sacri ac preciosissimi viri Liborij etiam transitus ex hac valle

Valle lachrymarum ad societatem, semper verè beatèque gaudentium ciuium supernorum, quo contigerit ordine, latiùs indicatur. Extant & aliæ de eius ortu & vita literæ strictim exaratae, de quibus omnibus, vtilissimis quibusque & veracissimis narrationibus defloratis, hîc eas, pro vt diuinitùs facultas datur, paucis explicare conamur.

CAPVT III.

*Patria eius & parentes. Quae Pueri deuotissimi studia fuerint: Et inde quanta iam viri apud omnes gratia.*

**H**ic igitur ex Gallijs originem Gente Gal-  
 ducens, & Parentum non ig- lus genere  
 nobili ortus profapiâ, clarif- fuit nobilitas  
 simam patriam suorum claritudi-  
 ne meritorum ampliùs illustrauit.  
 Namque ab ætate primæua, matu- Lubrica Iu-  
 rum in bonis actibus cor gerebat, uenta vir-  
 neque illecebris voluptatum car- tutibus fir-  
 mat, mat,  
 A s                      naliū

narium, ut ætati lubricæ moris est,  
 animo cedens, neque vitio leuitas  
 tis indulgens. Adeo verò sese humi-  
 lem & quietum & timentem sermonis Do-  
 mini exhibebat, ut meritò super  
 illum sancti Spiritus gratia requie-  
 uisse credatur, quæ illum ad sa-  
 cerdotij dignitatem ac dispensatio-  
 nem sacramentorum Dei, ad regi-  
 men fidelis populi nutrebat. Hæc  
 etiam illius animo flagrantissimum  
 discendi studium inspirauerat, qua-  
 tenus coelestium fluentis arcano-  
 rum, quæ multis erat quandoque  
 largiter ructaturus, ipsius primùm  
 præcordiorum intima salubriter  
 implerentur. Neque vnquam per-  
 uerso quorundam more prius vo-  
 luit docere, quàm discere: sed tan-  
 quam futurum se doctorem præsa-  
 gâ mente aduerteret, cunctarum fe-  
 rè sibi utilium scientiam scriptura-  
 rum satagebat intentus auditor ac-  
 quirere, quas postmodum quibus  
 opus esset, valeret facundus præce-

*Isa. 66. 2.*

*Ingens in  
eo discendi  
studium.*

*Ante didi-  
cit, quod  
diceret  
postmodum.*

ptor

ptor ingerere. Nec deerat sagacis ingenij vigor, largam bono studio efficaciam subministrans: magnamque in teneris adhuc annis præclaræ indolis flores spem suauissimorum fructuum præbuere, quos abundanter constat postea provenisse. Denique simul cum processu temporis, probitatis ac Sophiæ proficiens incrementis, ita in breui maturitatem virilis ornabat ætatis, ut acceptus apud omnes, & tam honore, quàm amore, dignus haberetur. Nec mirum, quippe quem nulli elatio proteruum, nulli asperum liquor, nulli contemptibilem fecit ignavia: sed humilitas etiam infimis coaptaret, charitas cunctis exhiberet affabilem & conformem, industria demonstraret eum esse

*Doctrina  
iuncta Pietas  
cunctis  
illum red-  
dit amabilem.*

*utile in domo Domini, ad omne  
opus bonum paratum.*

*2. Ti. 2. 22*

OS S SO

f

CA.



## CAPVT IV.

*Clerō associatus sanctus Liborius, quibus  
quantisq; Virtutum gradibus ad Episco-  
paliū honoris fastigium sit eleuatus.*

*In Clerum  
asciscitur.*

*Hic latte-  
am cali vi-  
am, quis-  
quis es, no-  
ta: & verū  
saluando.  
rum specu-  
lum inspice.*

**P**OST QUAM autem tam  
vitam, quàm habitum se-  
cularem, cœlestium præ-  
miorum intuitu dereliquit, &  
verè à Domino in suam electus  
sortem, Clero associatus, ac officijs  
est functus Ecclesiasticis, ampliùs  
totū se diuino cultui nisus est man-  
cipare. Studebat namque, quan-  
tum fragili carnis sarcinā circunda-  
tus potuit, cunctos actus cogita-  
tusque suos ad rationis normam di-  
rigere, circumspectus ac prouidus,  
docilisque & cautus existere, aduer-  
sa vel prospera æquanimiter ferre,  
animum supra temporalis periculi  
metum fortiter agere, nihilque nisi  
quod esset ante superni examinato-  
ris

ris oculos foedum, peccati scilicet maculas, formidare, habere de Dei bonitate fiduciam, securitatem, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Prætereà nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem moderari vel domare. Hinc modestus & abstinens, castus & honestus, parcus & sobrius ante Deū & homines permanebat. Iam vero in illo propositum æquitatis iustitiæque seruandæ, quis vnquam dignè valeat explicare? quis eius circa innocentiam, humanitatem & concordiam studium, quis erga pietatem & religionem enarret affectum? Omnis eius animi meditatio, à rebus vanis & caducis remota, circa salutem animæ ac statum vitæ perpetuæ versabatur. Proindè quia tantus in eo cœlestis iubaris splendor celari diu non potuit, sanctitatis eius ita rumor excreuit, vt totius inclytæ ciuitatis Cenomanicæ

*Fit Episcopus  
pus.*

*S. Pauatij  
vis mundo  
denascitur.*

*4. Reg. 2. 9.  
Eccl. 48. 13.*

nicæ populi ad hunc sibi met eligē-  
dum Pontificem, vnanimitè corda  
conuerterent. Nec dubium, quin se  
beatos fore arbitrarentur, qui ta-  
lem habere pastorem ac præfulem  
mererentur: cui ad docendum sup-  
peteret linguæ disertitudo, ad do-  
ctrinam exemplis formandam vitæ  
rectitudo, ad exorandum pro sub-  
ditis Deum meriti magnitudo. Vn-  
de cum memoratæ vrbis populum  
antistitis sui Pauatij viri sanctissi-  
mi obitus ingenti, vt par erat mœ-  
rore afficeret, consolabatur tamen  
huius concorditer electi probitas,  
& firmata de illo apud omnes fidu-  
ciæ certitudo, quòd nemine sacer-  
dotum Christi esset futurus inferi-  
or. Quinimò antiquam Israeliticæ  
gentis gratiam sibi præstitam gratu-  
labantur: quia sicut illis quondam  
ablato & ad cœlum raptò Eliâ Pro-  
phetâ sanctissimo, Eliseus duplici  
eius spiritu repletus successit: Ita  
spiritalis B. Pauatij virtutes, in suc-  
cessore

cessore Liborio representandas, aut etiam duplicandas fore sciebant. Quapropter gaudentibus cunctis Ecclesiæ Christi regimen, ad quod olim erat diuinitus præordinatus, iuxta morem Canonicum assumpsit, regulariter Pōtifex ordinatus.

## CAPVT V.

*Episcopi iam electi Mores, Exercitia. Harmonia Vitæ eius Doctrinaq; miranda.*

**S**VSCEPTO vero sacerdotio, *Honoris illo mores optimos nō immutat.* nihil ex studio sanctitatis, quā prius exercuerat, dereliquit; sed tanquam lucerna super candelabrum posita, ita ille diuinâ luce repletus, quò in eminentiore constitutus est loco, eò latiùs in domo Dei, collatæ sibi gratiæ notitiâ, refulgebat. Neq; illum tantæ dignitatis honores solitæ religionis mutare fecerunt mores; nec Ecclesiasticorum occupationes negotiorum quicquam ex quotidiana diuinæ laudis

laudis & placationis seruitute præ-  
 termittere coegerunt. Quinimò  
 tantò eam instantiùs adaugere cu-  
 ravit, quantò iam non suæ solius,  
 sed multarum animarum salutis  
 causa rectè se viuere debere sciebat:  
 quibus frustra præesse videbatur, si  
 non studeret etiam monitis exem-  
 plisq̄ue prodesse. Ob hoc igitur nul-  
 lius momenti spatium otiosè trans-  
 igere volens, semper erat vtilibus  
 intentus actibus, nunc lectioni di-  
 uinarum scripturarum operam im-  
 pendens, nunc orationi prolixius  
 incumbens: interdum etiam rerum  
 exteriorum dispositioni, pro ut suo  
 conueniebat officio, prudenter cõ-  
 sulens atque prospiciens: Assiduè  
 1. Cor. 9. 27. *verò vigilijs & ieiunijs castigabat cor-  
 pus suum, & in seruitutem redigebat, ne alijs  
 predicans ipse reprobis inueniretur.* Erat e-  
 nim prædicationis studio valdè in-  
 tentus, & tanquàm se nôsset gerere  
 officium Apostoli, dicentis: *Non enim  
 misit me Christus baptizare, sed euangelizare:*  
 atque

atque ab eodem audiret. *Pradica ver-*  
*bum, inſta opportune, importune:* ita ipſe  
 quotidie modis omnibus audito-  
 res ſuos ad vitæ rectitudinem pro-  
 uocabat. Cuius præcepta & moni-  
 ta id maximè populo grata & ama-  
 bilia faciebat, quòd eius vitam in  
 nullo doctrinæ contrariam depre-  
 hendebant; ſed quod illis ſectandũ  
 afferebat, euidenter in eius mori-  
 bus agnoſcebant. Verbi gratia: qui  
*elationem velut initium omnis peccati cau-*  
*dam penitus* ab illo ſæpe didicerant,  
 nullum eius indicium in illius acti-  
 bus, in habitu, in vultu, in geſtu cor-  
 poris, in ſermonis vſu ſentire po-  
 tuerunt. Audiebant ab eo: *Non officia-*  
*mur inanis gloria cupidi,* videbant eum,  
 verè pauperem ſpiritu, nunquam  
 niſi in Domino gloriari. Audiebant  
 ab eo, quòd *Inuidia Diaboli mors introi-*  
*uit in orbem terrarum.* & : *Putredo oſium*  
*inuidia;* Videbant eum affectu bene-  
 uolentiæ, *gaudere cum gaudentibus, flere*  
*cum flentibus,* aliorum proſpera & ad-

2. Ti. 4. 2.

*Sacris con-*  
*cionibus*  
*ſuum quo-*  
*tidie gregẽ*  
*paſcit.*

Tob. 4. 14

Gal 5. 26.

Sap. 2. 25.

Prou 14. 30

Rom. 12. 15

B uerſa

uerfa sua æstimare. Audiebāt ab eo;  
*Jacob. 1. 20. Ira enim viri iustitiã Dei non operatur: vi-*  
 debant eum omnem ostendentem  
*2. Co. 7. 10.* mansuetudinẽ ad omnes homi-  
 nes. Audiebant ab eo: *Sæculi tristitia*  
*2. Cor. 9. 7.* mortem operatur: videbant eum esse hi-  
 larem datorem quem diligit Deus. Au-  
*Ephes. 5. 5.* diebant ab eo, *avarum esse idolorum ser-*  
 uitorem: videbant eum rerum suarũ  
*Mat. 6. 20.* erogatione largifluã *thesaurizare sibi*  
*thesaurum in cælo.* Deinde si quis eius  
 parsimoniam, strenuitatem castita-  
 temque attenderet, non alijs ad fu-  
 giendam vitiorum corporalium la-  
 bem admonitionibus indigeret.

## CAPVT VI.

*Doctõr Sapiẽtiæ salutaris eximius S. Li-*  
*borius. Et quam varijs Honorum titu-*  
*lis Aureolam eius sacra Litera inter-*  
*stinguant.*

**I**T A pius gregis Domini pa-  
 stor, commissis sibi ouibus ad-  
 hibitã curã duplici, Exhorta-  
 tionibus scilicet & Exemplis, iter ad  
 æter-

æternæ vitæ pabula quærenda, &  
 spiritualium morborum dira con-  
 tagia vitanda demonstrans, tantum  
 ex eis lucrū acq̄siuit, vt quod voce  
 Dominicā per Malachiam dicitur,  
 de illo conuenienter valeat dici:  
*Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non  
 est inuenta in labijs eius: in pace & in equita-  
 te ambulauit mecum, & multos auertit ab ini-  
 quitate.* Verè enim multos ab iniqui-  
 tate conuertens, & rectitudini vitæ  
 fideique restituens, inter sanctos  
 Ecclesiæ Christi Doctores præcla-  
 rum obtinet locum: quorum mul-  
 timodam gratiam, & infinitam me-  
 riti excellentiam ipse verus eiusdem  
 Ecclesiæ Sponsus, in Canticis canti-  
 corum, multiplici laude prosequi-  
 tur: nunc eos ipsius *Sponsa collum mo-  
 nilibus assimilatum* vocans: nunc *Tigna  
 cedrina & laquearia cyprina* cognomi-  
 nans. Interdum *Labia vitæ coccinea*,  
 propter prædicationem passionis  
 Christi, similia; seu *Fauum* dulcedi-  
 nis verbi Dei stillantia: nonnun-

*Mala, 2. 6.*

*Multos à  
 vitijs & er-  
 roribus re-  
 uocat.*

*Sacris Ec-  
 clesiæ Do-  
 ctoribus cō-  
 numeratur.*

*Horum en-  
 comia va-  
 riè adscri-  
 pta.*

*Cant. 1. 10.  
 Ibid. 17.*

*Cant. 4. 3.*

*11.*



*Ibid.* 14. quam *Turrim David*, ob constantiæ firmitatem, eos appellans. Aliquando vero ibidem, ob nutrimentum paruulorum, quibus lacte opus est, *Mamma* dicuntur. Aliquādo *Fauo simul & vino*: aliquādo decori *Turris eburnea* comparantur: Plerunq; *Porta Ecclesiæ* nuncupantur: & propter variā vtilitatem, firmitatē, prouidētiam, *Cant.* 4. 2. contemplationē ei⁹, *Dentiū & Oculorū* & 5. 12. nomine designantur. Præterea ipsi sunt *Sexaginta fortes Salomonis lectulū ambientes*: ipsi *Columnæ argenteæ*, sacri eloquij nitore fulgentes. Quarum omnium similitudinum si quis mysteria perscrutetur, profecto innarrabilem huius sanctæ Ecclesiæ Doctoris & eius similium gratiam, dignitatemque reperiet: cū satis indicent hæc pauca de pluribus ex illo cœlesti Epithalamio sumpta, quòd nihil his illustrius, nihil pulchrius in Sponsæ laudibus decantandum Spiritus sanctus inuenit. Qui etiam de eisdem per Danielelem  
 ita

ita loquitur. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi Stella in perpetuas aternitates.* Sed quoniam huius Stellæ in erudiendis subditis feruorem pariter & splendorem ostendimus: quibus virtutum radijs in alijs quoque rebus effulserit, monstrare curemus.

## CAPVT VII.

*Annuo suo censu, totisq; redditibus Egeni consulit: Tempia 17. exstruit, eaq; ritè adornat: Clerum diuino cultui mancipat: Luminaria per Ecclesias iugiter concinnat.*

**H**ABVIT Vir sanctus hoc præcæteris tum temporis Pontificibus, religionis & Dei amoris indicium speciale, quòd omnia quæ ad eius laudem iugiter celebrandam, & Ecclesiastici cultûs officium pertinent, totis nisibus amplificare, prouehere atque adornare contendit: & exceptis his, quæ Cultus diuini promouendi quâ fuerit studiosus. Eius in vniuersis

*Quæ ve-  
stita pars  
monia.*

*Oratoria  
nova ex-  
struit.*

*Templa cui  
vsi fabris  
cata.*

sibi suisq; ad quotidiani victus & ve-  
stitus necessaria, quibus solis contē-  
tus erat, vix sufficere poterant; nec  
non & his quæ ad egentium & ino-  
pum sustentationem largâ manu so-  
lebat expēdere: reliquos omnes re-  
ditus Episcopaliū possessionum,  
omnes quarumlibet rerum census,  
qui sibi ex omni suâ diœcesi debe-  
bantur: vel si quid ex fidelium do-  
nationibus conferebatur, ad exhi-  
bendum ecclesijs congruentem or-  
natum, & nova quoq; Oratoria, in  
locis, quæ ad hoc opportuna vide-  
bantur, construenda deputavit.  
Quorum constructionem primū  
diuinæ seruitutis multiplicandę in-  
tuitu aggrediebatur: dehinc etiam  
plebium commoditati pariter &  
saluti prospicere, piè meditaba-  
tur, vt ad Ecclesias cum suis sa-  
cerdotibus propè positas facilè  
confluere, orationum studijs af-  
fuescere, regenerationis gratiam  
consequi, documenta sacræ legis  
audi-

audire, cœlestium Sacramento-  
rum celebrationibus interesse,  
atque omnia Christianæ religio-  
nis iura discere & exercere vale-  
rent: Nec quenquam vllius mo-  
lestiæ seu occupationis impedimen-  
tum exinde reuocaret, quos vni-  
uersos ad salutem animarum quæ-  
rendam ipsa loci opportunitas  
inuitaret. Hac igitur intentione,  
præter illas, quæ à suis præde-  
cessoribus fabricatæ fuerant, de-  
cem & septem sacris Ædibus no-  
uiter constructis & dedicatis suam  
Parochiam ita omnem illustrauit,  
vt in qualibet eius parte populo  
degenti aliquam orationis domum  
vicinam esse constaret. Locorum  
verò, in quibus eas construxit, hîc  
nomina ponere dignum ducimus,  
quo religiosi operis memoria fir-  
mior & fides certior habeatur. V-  
nam itaque ædificauit in Colinno:  
alteram in Syluiaco: tertiam in  
Raudatio: quartam in Campos

*Septendecim ædificauit Ecclesias.*

genesto : quintam in Conedaco :  
 sextam in Aciaco : septimam in  
 Aloncianno : octauam in Sangun-  
 no : nonam in Sabonario : deci-  
 mam in Bona : vndecimam in Lu-  
 cia : duodecimam in Lugduna :  
 tertiam decimam in Marfona :  
 quartam decimam in Paliaco :  
 quintam decimam in Magitto :  
 sextam decimam in Nouiliaco :  
 septimam decimam in Comnis.  
 Quibus ritè perfectis & decenter  
 adornatis, ac Sacerdotum & inferi-  
 oris ordinis Clericorum iugi prouid-  
 entia commendatis, obseruandū  
 omninò censuit, ne qua ibidem le-  
 gitimis horis die noctuque sacrorū  
 intermissio fieret officiorum, quibus  
 sanctæ & indiuiduæ Trinitati debite  
 gratiarū actiones & laudes referre-  
 tur. Deinde vt vnitati & concor-  
 diæ totius populi cōmissi consule-  
 ret, atq; omnia illius Dioceseos lo-  
 ca Deo dicata, cum vniuersis ad se  
 pertinentibus antiquæ & principa-  
 li suæ

*Quotidie su-  
 is in Eccle-  
 sijs vt diui-  
 na celebrē-  
 tur officia  
 sancit.*

*Hierarchiā  
 quandam  
 in eisdem  
 constituit.*

li suæ sedis Ecclesiæ, velut vni capiti & matri omnium subdita monstraret esse debere; decreuit vt illuc ex reliquis omnibus Ecclesijs per annos singulos census persolueretur, certus scilicet numerus librarũ cerę atque olei, prout illis offerendi facultatem suppetere sciebat. Æquum tamen omnibus eisdem locis debitum imposuit: hoc est, vt ex vnoquoque redderetur vna cerę libra, & olei duæ, præter id, quod custodibus præfatæ principalis Ecclesiæ dari constituit. Ex quo verè sancta & religiosa intentio beati viri factis apparet, quod non sibi aurum vel argentum, seu quodlibet earum rerum, quæ mundum amantibus preciosa, ipsi verò velut cælestia desideranti omnino erāt contemptibilia, coaceruauit: Sed ea magis Ecclesiæ dari constituit, quæ ad luminaria iugiter in ea concinnanda copiam darent. Nam quoniam ipse fuit templum veri luminis, hoc est,

*Nota, heretice, Luminarium in Ecclesia vsum perantiquum.*

B 5 Spiri-

Spiritus sancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit vnquam deesse.

### CAPVT VIII.

*In Episcopatu quorū annis sederit. Ordines sacros quos quibus contulerit. Eiusdem cum integerrimo Veteris Testamenti Pontifice collatio.*

*Diuturnitas  
eius Episco-  
patus, &  
Ordinatio-  
nes factæ.*

*Optimum  
de eius vi-  
ta fame te-  
stimonium.*

**M**ANSIT autem in Episco-  
patu annos quadraginta &  
nouem, in quibus fecisse  
legitur Ordinationes nonaginta &  
sex; ordinasse verò Presbyteros du-  
centos decem & septem: Diaconos  
centum septuaginta sex; Subdiaco-  
nos nonaginta tres: reliquorum  
quoque graduum ministros, quan-  
tum sacris officijs congruum &  
sufficiens esse videbat. Præterea  
habuit bonum testimonium etiam  
ab his, qui foris sunt: ita vt hoc  
quoque specialiter de illo præfata  
refe-

referant scripta, quòd studuerit Deo in omnibus dulciter famulari, & in rebus Ecclesiasticis Deo & hominibus bonis oppidò placere. Vnde liquidò patet, sic eum religionis constantiam ante Deum seruasse, vt tamen proximorum oculos non offenderet: sic humano foris placuisse iudicio, vt diuinis obtutibus non displiceret in occulto. Ita per omnia verus Dei cultor illi meritò Pontifici comparatur; quem *sine querela Domino seruasse* Euangelica laudat Historia: nisi quòd hic tantò præstantioris fuerit Sacerdotij Præsul, quantò figuram veritas, quantò legem veterem Noua CHRISTI gratia transcendit. Illo denique præsulatu functi, animalium cruores immolabant: huius sacerdotij primus author & Pontifex per proprium sanguinem introiuit semel in sancta; Et tamen in officio dispari fuere Pontifices isti, sanctitate pares, ambo

S. Zacharie V. T. Pontifici compãratur. Luc. 1. 62

Heb. 9. 12



*Luc. 1. 6.* bo Euangelicâ laude digni, ambo  
*iusti ante Deum, incedentes in omnibus man-*  
*datis & iustificationibus Domini sine que-*  
*rela.*

## CAPVT IX.

*Morbis eius: & Annus verè Iubileus.*

**C**VM autem diuinæ maiesta-  
 ti complacuit, post tam diu-  
 turna tot annorum certa-  
 mina, victorem hostis antiqui mili-  
 tem suum æterno præmio glorifi-  
 care, Anno quinquagesimo Episco-  
 patûs sui corporis cum molestiâ ita  
 fatigari permisit, vt adesse sibi diem  
 exitus sui non dubitaret. Qui annus  
 illi verus extitit Iubileus, quem in  
 eodem numero annum remissionis  
 appellans, vnumquemque in eo re-  
 dire ad familiam, & ad possessionem  
*Leu. 25. 10.* suam lex diuina præcipit. Nam & i-  
 pse, quò minus se dubitaret ad re-  
 quiem tendere, post septem septi-  
 manas

manas annorum, ex quo constitu-  
tus est super familiam Domini ad-  
huc in terris positam, ad eam, quæ  
in coelis est, lætus vocari meruit: vt  
possideret *terram*, quam *mansuetis & Matth. 5. 40*  
*mitibus* Veritas repromisit.

## CAPVT X.

*S. Martinus Turonensis Episcopus illum visitas.  
consolator adstat = orienti. Victurus ei de-  
nunciatur successor.*

**E**ODEM tempore S. Martinus *S. Martinus  
Diui nostri  
coæuus.*  
Episcopus Turonensem rege-  
bat Ecclesiam, Vir Apostoli-  
cis clarus omninò virtutibus: cui  
inter illa, quibus assiduè frui sole-  
bat, Angelicæ colloctionis myste-  
ria, etiam hoc ex diuina reuelatio-  
ne præceptum est, vt ad urbem Ce-  
nomanicam pergeret, atq; ibidem  
in infirmitate positum Dominum, *angelico  
monitu  
S. Liborium  
iam egrum  
visitat.*  
visitaret. Vnde animaduertens, hanc  
Domini infirmitatem de aliquo  
membrorum suorum intelligendã,  
de qui-

Mat. 25. 36.

de quibus ipse dicturus est in iudicio: *Infirmus fui & visitastis me*: coepit illico festinus ad memoratam pergere ciuitatem. Cui cum iam appropinquans, iuxta vineam quandam iter ageret, vidit eminens in ea stantem clericum gradu Subdiaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcumque ibi agendum erat, studiosius insudantem, sed nihilominus frequentatione Psalmodiae laudes Domini decantantem. Hic erat discipulus sancti Liborij, atque in ipsa suae continentiae mentisque & habitus humilitate, bonae institutionis magistri optimi clarum praebat indicium. Quem intuens S. Martinus, reuelante sibi Spiritu sancto hunc esse futurum ibi Episcopum, his eum verbis salutauit, dicens: *Aue noster Pontifex*. Dehinc illi baculum suum dedit, atque ita concito gradu in urbem properauit. In qua inueniens sanctum & verè Deo dilectum Praesulem, iam in extremis

S. Martinus  
Victurium  
salutat Episcopum.

mis

inis positum, & cœlesti tantum  
 gaudio, quò iturus erat intentum,  
 cum ineffabili ab eodẽ lætitia susce-  
 ptus est. Hic verò necesse est, vt no-  
 ster sermo deficiat: quia neminem  
 constat dignè posse referre, quàm  
 diuina, quàm spiritualia, quàm cœ-  
 lestia fuerint eorum colloquia: eũ  
 quã se exultatione mutuò viderint:  
 quo mentis affectu suam ad tem-  
 pus separationem ferre potuerint.  
 Erant enim ambo Christi militum  
 excellentissimi duces: ambo crebris  
 de diabolo triumphis gloriosi. Sed  
 alteri iam reddendum erat præ-  
 mium sempiternum: alteri aliquan-  
 diu differendum, & adhuc pro  
 castris Dei fuerat de-  
 certandum.

*Nota sis  
 dulcedinẽ  
 tam sancti  
 congressus  
 admirandam.*

os [S] so  
 S

CA:

## CAPVT XI.

*Obitus S. Liborij, Exequia, Sepultura. Victu-  
rius ei surrogatur. Plurima tam in vita  
huius Diui quàm ad eius sepulchrum mira-  
cula diuinitus ostensa.*

*Migrat ad  
celos S. Li-  
borius.*

*Erbesce  
hæretice,  
qui Exequi-  
as vt heri-  
natas, rides  
& spernis.*

*Iulianus  
primus Ce-  
romanorum  
Antistes.*

**I**GITUR beatus Liborius, præ-  
sente sibi tanto consolatore, suas  
rumq; Exequiarum prouisore,  
decimo Kalendarum Augustarum  
die lætus migravit ad Dominum.  
Cuius venerabile Corpus sanctus  
Martinus cum honore congruo ad  
Ecclesiam extra urbem positam du-  
ci & in ea sepeliri fecit: quam pri-  
mus eiusdem sedis Antistes, Iulia-  
nus nomine construxit, & in hono-  
re duodecim Apostolorum dedica-  
uit. Decebat enim, vt qui Aposto-  
lorum in terra successor, & in coelis  
esse meruit confors, in eorum quo-  
que Ecclesiâ communi cum illis  
memoria coleretur. Sequenti verò  
die vir Dei Martinus populum om-  
nem

nem, qui ad tanti viri exequias copiosus nimis & innumerabilis conuenerat, & internum amorem erga pastorem suum largissimis lachrymarum fontibus testabatur, in Ecclesiam conuocans, sanctæ admonitionibus doctrinæ consolabatur, eisque præfatum Victurium ordinauit Episcopum. Tradunt quoque literæ superius memoratæ, multa quidem sanctum Liborium in hac vitâ fecisse miracula, sed multò plura postmodum ad sepulchrum eius fuisse diuinitus ostensa, licet ob multitudinē suam nominatim expressa non sint. Quod nos facile credimus ex his, quæ oculis nostris videre meruimus, postquam ad nos sacrum translatum est corpus, sicut adiuuante Domino sequens huius operis textus enarrabit. Nam quoniam ipse verè fuit organum Spiritus sancti, per ipsius nunc operationem, ante eius reuerenda pignora virtutum signa sæpius ostendun-

*Victurius  
S. Liborio  
succedit  
in Episco-  
patu.*

C

tur:

tur : curationes scilicet debiliū,  
salutes languentium, expulsionēs  
immundorum Spirituum : præ-  
stante ipsius gratiâ, qui est fons & o-  
rigo bonorum omnium, & Deus  
& Dominus noster : qui in Trini-  
tate inseparabili viuit & regnat per  
infinita sæcula sæculorum,

Amen.



TRANS-

37  
TRANSLATIO  
S. LIBORI  
CENOMANENSIS QVON-  
DAM EPISCOPI,

Ad  
PADERBORNA:  
WESTPHALOS:



CAPVT I.

*Occasio huius operis & institutum.*



ESCRIPITIS su-  
periori libello Vi-  
ta & transitu pre-  
ciocissimi Confes-  
soris Christi atque  
Pontificis LIBO-  
RII, nunc secundum tuam, Bis-  
praesul egregie iussione[m], ad expo-  
nendam seriem Translationis eius

*Fuit is Bis-  
4. Episcop-  
pus Paderb.*

C 2

sacra-



sacratissimi Corporis, & ostensa per  
 eius merita virtutum insignia, pro  
 concessa diuinitus facultate, stylum  
 mentemq; conuertimus: excitante  
 studio nostrum pensatione sol-  
 licitâ, qualiter vobis obtemperare,  
 quantum deferre debeamus, maxi-  
 mè cum eorum officij dignitate  
 sublimatos, quibus diuina vo-  
*Lue. 10. 16.* **ce** dicitur: *Qui vos spernit, me spernit:*  
 non dubitetur, vos minimè sine  
**DEI** contemptu posse contemni.  
 Proinde ad repetendas cum laude  
 debitâ virtutum operationes, per  
 quas sancti Spiritus gratia solet ele-  
 ctorum merita declarare, eo, quo  
 te præcipiente huic operi insistere  
 debuimus, nulli opportuniùs tem-  
 pus occurrit: appropinquante vi-  
 delicet sacrâ solennitate aduentus  
 eiusdem Spiritus Paraleti, qui bea-  
 ti Liborij & in hac vita manentis  
 inhabitator apparuit, & nunc ipsius  
 sanctitatis per miracula index &  
 glorificator existit. Cuius nos ad-  
 susce-

susceptum opus auxilium haudquaquam inefficacibus votis inuocatos speramus, praesertim cum non aliud, quam quod ipse adueniens, mentibus, quas repleuit, ad profectum inspirauit, *Dei scilicet magnalia loqui*, & ipsum mirabilem in sanctis suis monstrare conemur. *Actor. 2. 116 Psal. 67. 36*  
 Sed antequam ad rei gestae ordinem veniamus, causam Translationis memoratae, atque exordium constructionis Ecclesiae, quae tanto caelitus illustrari meruit thesauro, referre breuiter congruum arbitramur.

## CAPVT II.

*Caroli Magni, ad lucrandas Christo animas  
& regna, Zelus.*

**I**GITUR vbi primùm glorio-  
 sae memoriae Carolus Impera-  
 tor concertatione longissimâ,  
 & varijs praeliorum euentibus cum  
 gente Saxonum exactis, illos ferro

C 3

edo-

*Carolus M.  
Saxones 33.  
annorum  
bello fati-  
gatos do-  
muit.*

*Ecclesias  
illis multas  
extruxit.*

edomitos Christi fidem suscipere fecit, suoque addidit imperio, clarum illicò dedit indicium, quâ fretus intentione, tam diuturnum laborem infatigabilis ferre potuerit. Siquidem vt in libello vitæ ipsius legitur, triginta & tribus continuis annis bellum cum eâdem gente gessit. Quâ tandem partim armis, partim liberalitate, per quam maxime primorum eius animos sibi deuinxerat, superata, totum exindè suum adhuc contulit studium, vt pro tantarum saluatione animarum populi, post tot sæcula cultum demonum relinquentis, fructum sui laboris ex Dei remuneratione consequeretur. Et vt se magis Christianæ religionis, quàm regni sui dilatandi causa, tantæ rei difficultatem aggressum ostenderet, Ecclesias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide populus confluere doceretur, & Sacramentis cœlestibus initiari consuesceret, sub quantâ potuit

potuit celeritate construi fecit, atq;  
 parochias diligēti ratione suis quas-  
 que terminis seruandas designans, *Ciuitatum*  
 quia Ciuitates in quibus more an- *ea regio.*  
 tiquo sedes Episcopales constitue- *uops.*  
 rentur, illi penitūs prouinciæ deē-  
 rant: loca tamen ad hoc, quæ &  
 naturali quâdam excellentiâ & po-  
 puli frequentiâ præ cæteris oppor-  
 tuna videbantur, elegit. Tum  
 verò vix reperiebantur, qui bar-  
 baræ & semipaganæ nationi præ-  
 fules ordinarentur. Cuius inter- *Saxones sa-*  
 dum ad perfidiam relabentis co- *pius recidi-*  
 habitatio, nulli Clericorum tu- *ui.*  
 ta videbatur: cui Ecclesiasticum  
 officium, & quicquid ad rerum  
 diuinarum pertinet cultum, non  
 solum deērat, verùm ignotum  
 omnimodis erat. Quocirca vnâ- *Vnde Eccle-*  
 quamque prædictarum Pontifica- *stasticis*  
 lium Sedium cum suâ Diœcesi *Præsulibus*  
 singulis aliarum regni sui Eccle- *contraditi,*  
 siarum Præsulibus commendauit, *ad inseren-*  
 qui & ipsi quoties sibi vaca- *da illis fidei*  
*Christiane*  
*dogmata.*  
 C 4 ret.

ret, ad instruendam, confirmandamque in sacrâ religione plebem, eò pergerent, & ex Clero suo personas probabiles cuiuscunq; ordinis, cum diuerso rerum Ecclesiasticarum apparatu, ibidem mansuros iugiter destinarent. Et hoc tamdiu, donec annuente Domino salutaris illic fidei doctrina conualesceret, & ita diuini vsus ministerij proueretur, vt proprii quoque in singulis Parochijs dignè & fiducialiter possent manere Pontifices.

## CAPVT III.

*Paderbornensis Ecclesia & vrbis latifundia:  
Mira Fontium scaturigines. Aër quo nullus  
vspiã salubrior.*

**I**NTER omnia vero loca, constituendis principalibus Ecclesijs in hac, de quâ loquimur, prouinciâ designata, Paderbornensis se-

sis sedes speciali quadam dignitate *Paderbor-*  
 præcellit: habens amplissimā circū- *na sitm.*  
 quaque planitiem, nemorum ta-  
 men frequenti & varia diuersitate  
 sufficienter ornatam: agros vberes, *Agri fera-*  
 & frugum omnium feracissimos. *cissimi.*  
 Cui adiacet à læua in ipso moenium  
 prospectu sylua, multis passuum *Sylua.*  
 millibus in longum latumq; diffu-  
 sa, adeò pecorum & armentorum  
 pascuis, apiumque seruandarum v-  
 su opportuna, vt illi non dissimilis  
 videatur regioni, quam sacræ literæ  
 vocant *terrā lacte & melle manantem.* *Deut. 6.11.* Ac-  
 cedit ad ornamentum loci saluber-  
 rimorum fontium, intra ipsum op- *Fontium*  
 pidum, in vnum pariter alueum *scaturigi-*  
 confluentium incomparabilis tam *nes.*  
 species, quam numerositas: in tan-  
 tum, vt eorum latitudini & amœ-  
 nitati similes esse alibi minimè  
 compertum habeamus. Nec de-  
 sunt hincinde & alia flumina, v- *Flumina.*  
 tilitatum, quæ ab his petuntur,  
 largissima. Aër ibidem & aura pla- *Aer salu-*  
 cidior, *berrimus.*

C 5 cidior,

cidior, & licet in frigido terrarum tractu, naturali gratiâ temperatior, citius, quàm in alijs illarum regionum partibus, maturitatem cunctorum fructuum afferre cōsuevit.

*Paderbor-  
nam vocat  
Pagum.*

Præterea pagus ipse, ut & nostra memoria, & veterum relatio testatur, viris omni nobilitate generis animique semper insignibus abundat: ut non esset dubium, quin patriâ ciuibus, & ciues patriæ congruerent, ac sibi vtraque vicissim ornamento forent. Et hæc quidem pauca de pluribus, hinc à nobis non ex superfluo dicta animaduertet, qui

*Paderbor-  
nensis Epi-  
scopus origo.*

Christianissimi Principis, ex hoc quoq; in Deum deuotionem comprobabit, quòd ea, quæ ex tanta locorum amœnitate iure belli acquisita, sub sua potuit tenere ditione, diuino magis seruitio, quàm suis deputauerit vsibus.

*Comitia i-  
bidem septi-  
mò habita.*

Tamen interdum pro varijs gentis eiusdem utilitatibus generale placitum habiturus, illic populi conuentum

fieri

fieri iussit, & hac ibidem causâ alio  
quandiu solebat immorari.

## CAPVT IV.

*Paderbornensis Episcopus Imperatoria  
pariter, & Apostolica auctoritate fir-  
matur.*

**N**AM & vir sanctissimus & *Caroli M.  
& Leonis  
PP. III. con-  
gressus.*  
verè Apostolicus Papa se-  
dis Romanæ, Leo nomi-  
ne, iniusta ciuium odia perpeffus,  
illic eum adiit, pro sedandis con-  
tra se ortis simulatibus Imperia-  
lem opem quæsiturus. A quo cum  
ingenti, vt par erat, honore susce-  
ptus, religiosum eius ac salutare  
Christianitatis dilatandæ studium  
nobiliter inchoatum, Apostoli-  
ca auctoritate firmavit, atque  
in Ecclesia tunc ibidem nouiter cõ-  
structa quoddam altare consecrans,  
adorandas in eo reliquias Proto-  
martyris Stephani, quas secū Ro-  
mâ

*Altare S.  
Stephani in  
crypta.*



Reliquia-  
rum honor  
& virtus.

mâ detulerat, collocauit, fiducialiter id Principi promittēs, quòd O-ratorium illud, tanti Martyris patrociniò munìtum, non vltèrius passurum foret iniuriam, quam ipso referente, prius ei contigisse cognouit: vt videlicet ob incolarum loci perfidiam & odium in religionem Christianam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè causam, easdem Reliquias ibi rogatu Imperatoris condidit, nō sine effectu congruo fiducia, sponsionisque suæ, cū nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit.

## CAPVT V.

*Paderbornensis Ecclesia incunabula. Primus illius Episcopus. Carolus Magnus V Westphaliae Apostolus laudatur.*

**H**oc igitur ordine Paderbornensis Ecclesiæ sedes Episcopalis tam Imperatoria sanctione,

ctione, quàm Apostolicæ benedi-  
 ctionis autoritate primitus consti- *Paderborn.*  
 tuta, ob causam superius memora- *Ecclesia*  
 tam, commendata fuit aliquandiu *Wirtzburg.*  
 tuitioni præfulum cuiusdam castel- *genfi inspe-*  
 li orientalis Franciæ, quod sermone *ctioni sub-*  
 barbaro Wirtzburg appellatur. *diæ.*  
 Sub quorum regimine status re-  
 rum ipsius parum proficere potuit:  
 quippè cum loca ipsa longa inter se  
 terrarum intercapedine distarent,  
 & præfatos præfules rarò hanc no- *Residentia*  
 uellam Ecclesiam inuisere, vel oc- *Episcopalis*  
 cupatio permetteret, vel commo- *necessitas.*  
 ditas suaderet. Neque enim ibi de-  
 erant negocia, quibus procurandis  
 insisterent, neque huc pergendi la-  
 borem paruum faciebat itineris lō-  
 gitudo. Ibi res necessariæ sufficien-  
 tes erant & ordinatæ: hinc & tenues  
 & cum difficultate nouiter ordinā-  
 dæ. Quocirca meritò vtilius visum  
 est, hanc sedem suam per se habere  
 Antistitem, qui non alibi occupa-  
 tus, hic tantum agendis rebus præ-  
 sens

*Hathumarus primus  
Episcopus  
Paderbornensis.*

*Carolus M.  
Saxonum  
Apostolus.  
Petrus à con.*

sens infudaret. Erat tunc temporis in Clero Wirtziburgensi Vir magnæ humilitatis atque modestiæ, Hathumarus nomine, de gente nostræ, hoc est, Saxonica oriundus: qui cum adhuc puer esset, belli tempore Carolo Imperatori obses datus, illic seruari iussus est, ubi postea tonsuratus, ac studijs literarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus est Paderbornensis Ecclesiæ ordinatus Episcopus. Post cuius ordinacionem paucis annis transactis, idem gloriosissimus Princeps ab hac luce migravit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria præstantiam licet libellus de vita eius cõscriptus plenissimè referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breuiter dicere, ipsius in nos beneficij magnitudo suadet. Quem arbitror nostrum iure Apostolum nominari: quibus ut ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodo

modo lingua prædicauit. Qui cum, *cionari lin-*  
 toties victoriâ potitus, quoties in *gua solitus*  
 procinctu positus, multas sibi gen-  
 tes, multa regna subiecerit: constat  
 tamen eum gloriosissimè etiam de  
 Diabolo triûphasse: cui tot anima-  
 rum millia, priùs sub eius tyranni-  
 de captiua, in conuersatione nostre  
 gentis eripuit, & Christo Domino  
 acquisiuit. A quo illum hoc recipere  
 præmium & confidimus, & opta-  
 mus, vt fruatur in cœlis Apostolo-  
 rum consortio, quorum functus est  
 in terris officio.

## CAPVT VI.

*Baduradi II. Episcopi Paderb. Virtutes egregiæ  
 & Zelus.*

**V**T verò ad propositum re-  
 deamus, defuncto Carolo,  
 Hathumaro quoq; Episco-  
 pò non longo pòst tempore ab hac  
 mortalitate ad perennem, vt credi-  
 mus vitâ assumpto, successit ei vir e-  
 gregius

*Baduradus  
II. Episco-  
pus Paderb.*

gregius nomine Baduradus: qui & ipse ex hac regione nobili ortus pro sapiâ ex eiusdē Ecclesiæ Clero elect<sup>9</sup> est. Qui præclaræ inorū nobilitatis, magnanimitatis & industriæ merito, familiaritatem regiam intimè consecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, vt ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, prouehendæ, atque adornandæ Ecclesiæ sibi commissæ suppetere videretur. Tunc verò, tanquam ad hoc sibi datam diuinitus excellentiam aduerteret, nihil sui laboris studijque subtraxit ab acquirendis & procurandis omnibus, quæ ibidē ad diuinæ laudis augmentum, ad vtilitatem Christiani populi nouerat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, ecclesias per omnem parochiam suam sub celeritate construere. Principalem vero Basilicam ingenti decore & grandi opere extollere: res omnes ad eam pertinentes modis varijs adornare: augmen-  
tare

*Ecclesias  
plures exae-  
dificat.  
Basilicam  
principalem  
exstruit.*

tare Clerum : disciplinam monasterialē instituere : pueros tam nobiles, quā inferioris conditionis, in Scholam congregatos, in diuinæ legis eruditione nutrire. Quod eius laudabile studium, ita felix profectus comitabatur, vt verè illum ad hoc à Deo præsignatum, & rudimentis eius loci cœlitus concessum dicere valeamus.

*Scholas eo  
rigit formā  
de ad pietatē  
Iuuentutis.*

## CAPVT VII.

*Translationis S. Libori occasio : Qua huic præuia : Quis instituta modus.*

**Q**VIA verò rudis adhuc in fide populus, & maximè plebeium vulgus difficilè poterat ab errore gentili perfectè diuellī, latenter ad auitas quasdam superstitiones colendas sese conuertens, intellexit vir magnę prudētię, quòd si præcipui alicuius Sancti illic corpus allatum, miraculorum,

*O notate pō  
steri, & de  
SS. Relē.*

D

vt fie.

*quijs priscā  
Majorum  
fidem resu-  
mies.*

*Ieiunium  
præindici-  
tur, & sup-  
plicatio pub-  
lica.*

ut fieri solet, ostensione & gratiâ san-  
tatum suadente, multitudo plebis  
inciperet venerari, & ad eius patro-  
cinia confluere consuesceret, nulla  
re eam facilius ab infidelitate posse  
reuocari: præsertim cū verbis Do-  
ctorū de diuina virtute non creden-  
tes, tamen his quæ oculis viderent,  
quæ beneficiorū vtilitate sentirent,  
fidem derogare nō possent. Præter-  
ea cunctis fidelibus ibidem manen-  
tibus, vel eò conueniētibus, magne  
hoc apud Deum intercessionis sola-  
tium, maximam eidem loco tuitio-  
nem & gloriam collaturum fore nō  
dubitans, ad id obtinendum sedule  
cogitationis curam intendebat. Et  
quoniam à Deo, qui est fons bonita-  
tis, quicquid optatur boni, & maxi-  
mè rem tãtam nouerat expetendã,  
indicto ieiunio, & celebrata suppli-  
catione publica, cum omnibus sibi  
cōmissis, ab eius clementiâ demon-  
strari sibi met postulauit, quonã or-  
dine pro adipiscenda re desiderata,  
debe-

deberet insistere. Vnde fidē eius benignē respiciēs, dignatus est ei reuelare, quòd ad Cenomanicā urbem Galliaē rē diu optatā, petitū ab Episcopo loci mittere deberet: ibi dandū votis eius effectū prosperū fore.

Ex hac reuelatione indubiā spe animatus, accelerare negociū studuit.

Episcopus qui præfatā urbē eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit.

Ad hunc ergo cū consensu & præcepto Cæs. Ludouici, nūcios destinādos elegit, & ex Clero q̄dem suo probabiles personas, & in sacris ordinibus religiosam vitā ducētes: nec nō

& quosdā laicos nobiles, quorū fidē & industriā ad tale opus idoneā no-

uerat. Clericorū verò quibus id negocij commendatū est, præcipuus

erat quidā Presbyter, Ido cognomine, qui omnem suæ profectiois hi-

storiā & signa, quę in ea diuinitus ostēsa p̄spexerat, partim viua voce in-

timata, partim literis breuiter annotata ad nostram fecit notitiā per-

uenire.

D z CA

*Diuinitus  
inbetur E-  
piscopus pe-  
tere ex Gal-  
lijs sacras  
Reliquias.*

*Legati e-  
Clero &  
Nobilibus  
eò missi.*

*Ido Presby-  
ter Pader-  
bornensis.*



*S. Libori Reliquia impetrata. Primum ad eas  
Odoris fragrantissimi miraculum.*

**I**GITUR anno Dominicæ incarnationis octingesimo trigesimo sexto, Indictione XIII, cum præfatus Ludouicus tertium & vigesimum in Imperio annum ageret, legati Paderbornenses de Saxonia profecti, ad urbem Cenomanicam quarta Kalendarum Maiarum die venere: insinuantisque Episcopo causam, pro quâ missi fuerant, benignè ab eo suscepti, Dei nutu, ut credimus, sine morâ petita impetrauerunt. Sequenti namque die conuocans omnem Clerum, præsentem suo quoque Coepiscopo, Dauid nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter Missorum de tam longinqua regione venientium, religiosi precibus in hoc decenter posset annuere, ut sancti alicuius in  
tegras

tēgros, vt petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidem sanctorū corporum magna copia: inter quæ sancti Liborij quondam præsulis eiusdem vr̄bis præcipue glorificatū miraculis habebatur insigne. Quod cum Episcopus præfatis nuncijs dare disponeret, reniti primò cœpēre plurimi, dicentes se illis pignori-  
bus preciosius nihil habere. Tandē vix omnium impetrato consensu, assumptis secum Sacerdotibus, & cuiuscunque gradus Clericis, sacri ministerij vestibus ornatis, Missos quoque, qui sanctos artus accepturi erant, adesse præcipientes, processit ex vr̄be ad Ecclesiam, in qua sacratissimum beati Liborij corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem Ecclesia iuxta ciuitatem posita, & in honorem duodecim Apostolorum dedicata, quam primus eiusdem sedis præsul, nōmine Iulianus, condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus. Epi-

*En quandē  
estimata  
pijs nostris  
maioribus  
Reliquiæ  
ss.*

*Apparatus  
Præsulis  
Cenomanicū  
& Sacerdo-  
tum, ad ele-  
uationem  
corporis D.  
Libori pro-  
cedentium.*

D 3 scopus

*Indicta ieiunia.* scopus denunciato prius ieiunio, cū sacro illo comitatu humiliter ac deuotè, vt ad tale opus decebat, perrexit, vicissim Psalmos, Litanias, *Hymni & Cantus sacri.* Hymnosq; decantans. In quam cū ipse & plures secum, sacros artus de mausoleis leuaturi, cōuenissent, mirum dictu, sensere cuncti inæstimabilis odoris suauitate totam domū repente completam. Qui dissimilis odoramētis omnibus, quæ in terris vel naturâ vel arte fiunt, clarum cælestis cuiusdam præsentia dedit indicium. Ita enim omnium, qui aderant, mentes magis quam corpora ineffabili iucūditate immutauerat, vt velut in extasi positi, & aliarū rerum obliti, tantum ibi manendi delectatione tenerētur. Nec dubium, quin ipse tunc fuerit in medio multorum fidelium, in suo nomine cōgregatorum, qui paucis quondam discipulis tātā suę visionis dulcedinem præbuit, vt primus eorum *Mat. 17. 4.* diceret: *Domine bonum est nos hīc esse.* Nec erat

erat incongruum, vt eorum meritis  
 odoris fragrantia testimonium da-  
 ret, cum quibus Apostolus dicit:

*Christi enim bonus odor sumus Deo.* Erant 2. Cor. 2. 13.

autem in eodem loco aliorum quo-  
 que membra Sanctorum, in Sarco-  
 phagis honestè recondita, maximè

Episcoporum Ciuitatis illius. Ex

quibus tunc simul, cum beati Libo-  
 rij Corpore, datæ sunt Reliquiæ

Pauatij videlicet, atque Gundani-  
 soli. Per totum autem illud diei

spatium, quo sancti Liborij mem-  
 bra de tumbâ leuata, in feretro lo-

canda componebantur, prædictus  
 odor nunquam defuit: quò minùs

dubitaretur illi operi ministerium  
 præbuisse, quo cœpto, inchoauit:

quo finito, non diutiùs

mansit.

*SS. Pauatij  
 & Gunda-  
 nisoli Reli-  
 quie S. Li-  
 borio addi-  
 te.*

*Mulier quadam ceca mirè sanatur. Obsessus sibi redditur. Vtroq; pede claudus restituitur.*

II. Miraculum.

**D**VM hæc in templo agerentur, foris quoque aliud signum eadem contigit horâ. Nam mulier quædam ab annis plurimis ceca, in conspectu populi, qui satis frequens pro foribus stabat, interuentu ipsius, cuius corpus interius ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quàm nouæ sanitatis omnes ferè, qui aderant, testes erant, adeò multitudinis animos res gesta commouit, vt omnes simul in laudem Dei, elatâ in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum Episcopo erant intrâ clausas Oratorij ianuas, ostentimque miraculo quolibet populû in tantæ gratulationis clamorem exci-

excitatum intelligentes, & ipsi pro viribus diuinę pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. Cumque suas vtrinq̃ voces, qui intus & foris erant, recognoscerent, vno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupere planctum, vt vix quisquam cōtinere lachrymas posset. Sed Episcopus videns cantum diuinę laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursus Antiphonas & Psalmos Sanctorum glorię congruos cum Clero psallere: atque ita confusę multitudinis clamorem compescuit.

In ipso verò momento, priusquã illud sacratissimum corpus de ecclesiã, in qua sumptum est, efferretur, etiam tertio signo eius declarata sunt merita.

Namque vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à demōnio, & multis iam famã tantę miserię factus notissimus, quippe qui per multas ecclesias & monasteria

III. Miraculum.

D s du

ductus, nusquam suę remedium calamitatis accepit: tandem cum matre propriã veniens ad ecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotum manus habebatur, cōfestim ita purgatus est, vt nec signū quidem vltra talis pertulerit passionis. Tum vero Antistes, ne quam nuncijs memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud Corpus cum omni reuerentiã suis & Sacerdotum manibus deportari fecit in urbem, ad principalem suę sedis Ecclesiam, vt hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honorificè cōmendaret. Comitabantur verò, nec vsquam deerant, velut præsēntis Dei virtutis, sanctum suū mirificantis, indicia.

**IV. Miraculum.**

Nam vbi primū Ecclesię, quã diximus, illatum est, ingressus pariter quidam claudus vtroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis, mox vt caput ad orandum inclinavit, recepit integram sanitatem.

CA.

S. LIBORI.  
CAPVT X.

*Mutus loquitur. Ambulare ab viro ne-  
sienti gressus reformatur.*

**T**RANSACTO deinde paruo  
diei spatio, mutus quidam,  
diuturno inutilis linguæ,  
damnatus silentio, subito sibi vocis  
organa sentiēs restaurata, omnipo-  
tentis Dei misericordiam, eiusque  
Confessoris & Pontificis Liborij  
patrocinium plano coram omni-  
bus sermone laudabat.

V. Miraculum,

Sed cum ita coruscantibus super-  
næ gratiæ beneficijs celeberrimus a-  
geretur dies, postremo maiori quo-  
que miraculo nouum fidelibus  
gaudium, noua data est materia  
gratulandi. Licet enim omnia  
Deo sint æquè facilia, magis ta-  
men solemus mirari, cum dantur  
noua & nunquā habita, quàm cum  
amissa & perdita restaurantur. Hic ea-  
dem rursus fiunt, quæ naturali or-  
dine prius facta fuerant; ibi mira-

Dei



VI. Miraculum.

Dei virtus tribuit, quod natura negavit. Vir quidam ab ortu natiuitatis in tantum à genibus deorsum debilitatus, vt tibiæ cum pedibus arefactæ, graciles & contortæ, omnẽ ambulandi vsum penitus denegarent, in prædicta Ecclesia ante veneranda S. Liborij pignora deportatus est, atq; illicò viuaci vigore nervis venisque infuso, & dissolutis ante compagibus solidatis, recto gressu cœpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concursus; certatim omnibus videre cupientibus, quod paulò antè nunquam se visuros arbitrabantur. Neque enim velut infirmis aut titubantibus vestigijs gradiebatur, sed coram omnibus, qui eum nunquam antea satis terram plantis tetigisse nouerant, celeri motu currens & exiliens, Christo Domino eiusque sancto Confessori gratias referebat. Agebat hoc nimirum ipse, per  
succes.

successorem Apostolorum, qui per ipsos quondam Apostolos eodem modo claudum à natiuitate simili gratiâ sanari concessit.

His ita gestis, cum inclinata iam die dominicę noctis appropinquaret exordium, præcepit Episcopus Clerum omnem ad Vigiliarum solemniam maturius conuenire, vt his statim peractis, primo diluculo præfatis Nuncijs optatum munus accipientibus, redeundi ad patriam oportunitas optata daretur. Conuenit autem pariter Laicorum grandis numerus, quos ostensa prioridie miracula ad quærenda sanctorum pignorum patrocina ingenti delectatione inuitauerant. Cumque propè finito matutinæ laudis officio, auroræ ortus illucesceret, lux lucis & fons luminis illuminauit ciuem vrbs eiusdem, qui cæcus genitus, vsque in diem illum coæuam sibi eam miseriam tolerabat. Sed qui in Euangelio legitur per semetipsum

Act. 3. 2. 8.

VII. Miraculum.

*Joan. 9. 1.* ipsum hominem à poena simili liberasse, hunc quoque per electum membrum suum à tenebris diurnæ noctis eripiens, ignotam prius lucem videre concessit.

## CAPVT XI.

*Damon ab obsesso pellitur. Sacra Reliquia ad S. Vincentij deferuntur.*

**E** ADEM horâ, eodemque in loco, id est, in Ecclesia coram clero diuina carmina concinente, multisque alijs fidelibus adspicientib<sup>9</sup>, arreptus quidã à dæmonio, vexari miserimè cœpit. Diu namque ab eo torqueri antè solebat: sed dum interuentu eiusdem Confessoris, expulso hoste nequissimo, sospitatem mentis recepit, nec deinde vllum in se larualis phantasmatis sensit horrorem. Ita illius diei exordio geminatã lætitiã cælitùs illustrato, infinitam populi multitudinem sexûs vtriusque

que atque omnis conditionis & ætatis, tam ex ea regione, quàm ex vicinis vrbibus tantorum signorum latè circumuolans fama contraxit. Celebratis verò Missarum solennijs, accelerabat Episcopus sanctum illud Corpus his, qui ad patriam secum delaturi erant, commendare, ipsumq; cum honore debito ex vrbe deducere, antequàm adueniens turbarum immensitas, eorū iter impediret. Ornatur itaq; celerus omnis sacerdotalib<sup>9</sup> & ecclesiasticis indumentis, eleuatoque ferebro sanctorum pignorum in humeros sacerdotum, sonantibus quoq; signis omnium per vrbem ecclesiarū, ac præeuntibus, qui sanctæ & viuificæ Crucis vexilla, sanctorumq; Euangeliorum libros & sacras Reliquias in aureis argenteisque reconditorijs cum aromatibus præferrebant, deducitur cum ingenti cūctorū veneratione, cū psalmis, hymnis & antiphonis, in Oratorium

S. Vin-

*Missarum  
solemnis,*

*Sacerdotū  
ornatus &  
pompa in  
deducendis  
SS. Reli-  
quijs.  
Campane  
omnes pala-  
tate iuncti  
sunt.  
S. Crucis ve-  
xilla præ-  
ferri cum  
solita.  
Libri Euan-  
geliorum  
portati.  
Aromata  
incensa.*

*Templum  
S. Vincen-  
tij.*

S. Vincentij, situm iuxta portam  
urbis, per quam egressuri erāt. Pro-  
sequebatur autem maxima multi-  
tudo plebis: sed non minor ibidem  
obuiauit, quæ signorum rumore  
audito, vndique confluebat.

## CAPVT XII.

*Pia plebis atq; Antistitis de S. Libori Reliquijs  
excitata contentio, & composita.*

*Studium  
Cenomanen-  
sis populi  
erga cultū  
Sanctorum:  
& Queri-  
monia.*

**T**VM verò non leuis oritur  
contra Præsulē populi que-  
rimonia, clamantibus plu-  
rimis, magni se patrocinijs tuitione  
priuari, ablato à se corpore tanti  
confessoris, cuius intercessione so-  
lerent ab omni aduersitate muniri.  
Hoc suæ regionis vnicum post De-  
um fuisse tutamen, hunc honorem  
maximum, hanc gloriam singula-  
rem. Timere se meritò posse, ne  
translatis eius venerandis artibus  
pariter nominis eius in breui vene-  
ratio

ratio memoriaque neglecta, indignos eos ipsius interuentu apud Dominum faceret. Arbitrari sese, pastoris potius officio conuenire, sanctorum pignora ad munimentum gregis sibi commissi vndecunque acquirere, quam eorum, quæ haberent, preciosissima quæque in alias mittere nationes. Commotus aliquantum his vocibus Antistes, & maximè lamentantis turbæ acclamatione: tandem facto silentio populum in eadem ecclesiâ S. Vincentij breuiter allocutus est. Non est, inquiens, æquum, fratres, quenquã vestrum putare, me in tantum aut commissæ mihi sollicitudinis, aut vestræ simul meæq; salutis oblitum, vt hæc nostri perpetualis Patroni Pignora sine certâ ratione ex hoc loco transferri permetterem. Si enim, cum apud nos Sanctorum corpora Deo miserante satis abundet, illi populo, qui nuper ad fidem vocatus, & eorū aut parum, aut nihil

*Episcopi vicissim ad populum prudens exhortatio.*

E peni-

penitens habens, à nobis huius suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omninò assensum præbere dedignamur, fatendum est, nos Evangelici Apostolicique præcepti contemptores, contra ius charitatis fraternæ, *cludere à fratribus viscera nostra*. Absit verò hic error procul à cordibus vestris, ut putetis electos Dei iam cum ipso regnantes, ibi tantum, ubi corporaliter eorum habentur reliquiæ, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potius credendum, eius patrocini-um in hac ecclesiâ, quam in carne positus fideliter rexit, & in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quærentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo noviter ad Deum conuerso, novos sibi seruitores & veneratores acquireret, ad quos corporali præsentia suorum pignorum accederet: Sed à vobis spiritalis eius protectio nunquam recedet. Sciendum quoque, quòd Serenissi-

1. Ioã. 3. 17.

An cum Reliquiis Sanctorum vnà auferamur & patrociniâ.

renissimus Imperator id ipsum fieri  
præcepit; cuius quicumq; potestati resistit, *Rom. 13. 2o*

Dei nimirum ordinationi resistit. Præterea  
luce clariùs ostensum est, Dei pari-  
ter & huius ipsius sancti Patroni no-  
stri Liborij placere voluntati, vt ad  
illam, in qua cum summo cuncto-  
rum desiderio expectatur, regionē  
adueniat. Quod si non ita esset, ab  
inchoato heri istius translationis  
exordio, vsque ad hanc horam, tan-  
ta nequaquam miracula coruscas-  
sent. Cum enim placatus potius,  
quam iratus Deus dona cœlestia  
largiatur, quisnam existimare po-  
test, quòd si hoc opere offendere-  
tur, tantis illud signorum beneficijs  
illustrasset? Quocirca, fratres, ab  
hac intentione desistite, ne diuinæ  
dispositioni comprobemini pa-

lām resistere volu-

isse.

OS): (SO



E 2

CA



## CAPVT XIII.

*Aldricus Prasul contestatione grauissimâ interpositâ. S. Libori reliquias Legatis tradit. Accipientes inter, tradentesq; fraternitatis perpetua fœdus icit, comitesq; dimittit.*

**C**VM his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu sedata plebis cōmotio quieuisset, præcepit Pontifex eos, qui per totum biduum, à varijs debilitatibus, seu ab immundis spiritibus liberati fuerant, in vnum congregatos, ad conspectum multitudinis nouiter aduenientis adduci: vt eorum omnem & pristinae calamitatis, & nouæ reparationis historiam pandens, diuinam clementiam faceret ab omnibus unanimiter collaudari. Vbi primùm verò populus coadunatum illud recens sanatorum agmen adspexit, & quos nudius tertius diuersis passionibus affectos, iam tunc sanissimos esse

*Immensæ  
Deo laudes  
& grates ob*

*esse*

esse cognouit, subito ex omni parte *morbidos*  
 infinitæ multitudinis vox magnæ *curatos red*  
 gratulationis exoritur. Nec datur *duntur.*  
 ullus Episcopum loquentem audi-  
 endi locus; sed nemine tacente, ne-  
 mine alium expectante, pro se quis-  
 que, quâ poterat, Deum voce lau-  
 dabat. Cumque etiam Clerus, Epi-  
 scopo incipiente hymnum *Te Deum*  
*laudamus,* & quædam alia tantæ læti-  
 tiæ conuenientia decantaret, im-  
 mensæ illius iubilationis sonus, in-  
 explebili supernæ laudis delectatio-  
 ne, in longum diei spatium prote-  
 latus est. Quo tandem finito, aduo- *Paderbora*  
 catis sepe memoratis Baduradi Epi- *nensibus da-*  
 scopi Missis, beatæ memoriæ Aldri- *tur Corpus*  
 cus Antistes preciosissima illa, quæ *S. Liborij.*  
 supra diximus, pignora coram om-  
 ni Clero & populo commendauit,  
 sub Obtestatione grauissimâ, Vt cû *Obtestatio*  
 digno semper honore tractarentur; *uotanda.*  
 nec eis vnquam omnis reuerentia  
 cultûs ecclesiastici à quolibet Epi-  
 scopo Paderbornensi & Clero suo  
 E. 3. quoli-

*Cenomanē-  
sum cum  
Paderbor-  
nensibus  
perpetue  
fraternita-  
tis obliga-  
tio.*

quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter vtriusq; Ecclesiæ Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis Congregationes firmatâ charitate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamen vnâ cum multitudine extra ciuitatē aliquandiu profecutus, cum paucis suorum redijt: quoniam à tam glorioso comitatu vix quisquam nisi inuitus separabatur.

## CAPVT XIV.

*Legati sic dimissi, iter sacris cum pignoribus Paderbornam versus adornant, surdus ab vtero mutusq; sensibus suis redditur.*

**E**T illi quidem annuente perspicuâ DEI clementiâ voti sui se compotes effectos summo opere gratulantes, Kalendis Maij ab vrbe Cenomanica profecti, cum omni studio ad patriam festinare

nare contendunt. Cuius itineris gloriam ac latitiam quis dignè valeat enarrare? Opportunum tamen credimus viam omnem celeri stylo pcurrere, annotatis tantùm locis in quibus præcipua sunt, eademq; certissima gesta miracula. Nam omnia quæ sacrum illud iter cœlesti quodam lumine illustrarunt, ne illorū quidem aliquis, qui præsentibus fuērunt, dicere aut memoriā potuit retinere. Illis itaque proficiscentibus, prædictā die iuxta locum, vulgò Pontleuua nominatum, secutus eò quidam ex familia pertinente ad seruitium Ecclesiæ ipsius sancti Liborij, quem & sensum audiendi, & sermonis vsus nunquam habuisse magna pars populi nouerat, Dominum suum vt sui misereretur, quia voce non poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cūq; crebrò caput inclinatum, expansæ manus, leuati modò ad cœlum, modò ad sacrum feretrum oculi, satis in-

IX. Miraculum.

Pontleuua

E 4

ternum

ternum eius affectum indicarent, nec iam præ lassitudine sequi longius posset, tandem à poenâ secum genita relaxatus, eo primum die coepit & audiri loquens, & loquentes audire.

## CAPVT XV.

*Mulier Morbida asseritur. Alia horrendorum hospita spirituum infelicioꝝ ope huius Diui expeditur.*

*Templum  
S. Medardi.*

*X. Miraculum.*

**I**N DE coepto itinere properantes, cum ad Ecclesiam quandam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata est, quam per omne tempus vitæ suæ prius tolerasse ferebatur. De qua id quamuis incredibile, multorum tamen relatione asseriebatur, quod nullum alimenti genus vnquam gustare potuerit: sed cochlearū more, suo victitans succo,

co, noxio tantum aleretur humore. Quod nequaquam affirmantes, id tantum dicimus, quod verum nouimus, eam ad S. Liborij patrocinium, & venisse languidam, & redisse incolumem. Hinc ad Basilicam Symphorij ibidem recepti sunt hospicio, vbi noctem illam splendor pietatis diuinæ clarè fecit illucescere.

*Fortè Symphoriani.*

Nam foemina quædam, diu malignorum spirituum se vexantium, miserabile receptaculum facta, ad sæpe memorati Confessoris implorandum pro ea suffragium, in ecclesiam adducta est. Finitis verò matutinis ex more vigilijs, cum facto iam silentio plebs egressura esset, cœpit subito horrorem dire vocis emittere, vlulare, mugire, sibilare, ac per omnia beluinos imitari sonos: vt nisi præsens videretur, nihil minùs quàm mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, simul & miseratione permoti, teneri eam,

IX. Miraculum.

E s & ad

& ad Sanctorum feretrum propius inuitam trahi fecerunt. Deinde unanimis pro illa preces fundentes, citò exaudiri meruerunt. Denique statim à dæmonum violentiâ liberata, sobria mente ac voce gratias ac laudes Deo referens, euntes eos inde diu cum populo sequebatur.

## CAPVT XVI.

*Contractus miserè, sanatur mirè. Ad mortem Energumenus, integrè liberatur.*

*S. Sulpitij  
Cænobium.*

*XII. Mi-  
raculum.*

**E**XINDE festinato cursu monasterio sancti Sulpitij appropinquantes, vident eminus adduci mendicum quendam in vehiculo, qui miserabiliter toto penè contractus corpore fuit. Nam & pollices vtriusque manus erant in medium palmæ incuruati, & reliqui digiti supra ipsos pollices extensi, ita eos stringebant,

VT VN.

vt ungues radicibus palmarum hæ-  
 rerent infixi. Reliquum corpus  
 adeò velut in sphæram rotunda-  
 tum videres, vt genua pectori,  
 summitates pedum renibus iunge-  
 rentur. Sed quantò eius fuerat mi-  
 serabilior pœna, tantò secuta est  
 mirabilior medicina. Interueni-  
 entibus namque beati Liborij  
 meritis, cuius opem integra fide  
 implorabat, erectis in momento,  
 ac sanatis omnibus simul membris,  
 profilijt de paruo illo, quo vehe-  
 batur, curriculo, & celeriter ad  
 loculum sacri Corporis currens, i-  
 bidem se in terram prostravit, cum  
 ingenti affectu, corde simul & ore  
 gratias agens. Mirari populus,  
 Deumque sublatis in cœlum vo-  
 cibus collaudare, quòd non vide-  
 retur circa viuentem hominem,  
 amplioris virtutis opus sub cœlo  
 fieri potuisse. Pergentes verò ad  
 Ecclesiam quandam in honorem  
 sancti Petri Apostoli dedicatam,  
 subi-

*Ecclesia S.  
 Petri,*



XIII. Mi-  
raculum. subito dæmoniacum, qui eos ali-  
quandiu sequebatur conspiciunt in  
via media cecidisse. Ad quem eri-  
gendum cum aliqui ex plebe cucur-  
rissent, iacuit omninò sine motu a-  
liquo, vt ab omnibus esse mortuus  
non dubitaretur. Post paululum  
tamen erectus ad sedendum cœpit  
sensim quasi reuiuiscere, & sequen-  
ti die coram populo laudes salua-  
tori suo rependens, sanus apparuit,  
ac si nunquam à maligno fuisset ho-  
ste vexatus.

## CAPVT XVII.

*Carnotensis Antistes SS. Reliquias magnificè  
excipit. Puella in globum velut contorta cur-  
ratur.*

**P**ROINDE CUM tantis diuino-  
rum beneficiorum donis, ve-  
lut cœlestibus radijs micantē  
viam læti carperent, quæ plus quo-  
tidie gaudij, quàm fatigationis af-  
ferret

ferret: contigit, vt ad ciuitatē Car- Carnuti.  
 notensem, satis amplam & populo-  
 sam, deuenirent; Cuius vrbis Epi-  
 scopus, Bernuinus nomine, iam tū *Bernuinus*  
 atate simul & moribus valdè ma- *huius vrbis*  
 turus, collectis ex more Presbyte- *Epi. opus*  
 ris, eo tempore Synodum in vrbe *cum Clero*  
 celebrabat. Cui cum nunciatum *populoque*  
 esset, qualiter & quo ordine assum- *uniuerso*  
 ptum Cenomanis corpus præfati *SS. Reli-*  
 Confessoris, suę iam vrbi appropin- *quijs obuiã*  
 quaret, statim cum omni illo sacro- *procedit.*  
 sacerdotum collegio, totoque Cle-  
 ro suo & populo processit in eius  
 occursum, atque cum hymnis &  
 canticis spiritualibus illud deuotif-  
 simè extra urbem longè progressus  
 excepit, iussitque vt deferretur per  
 viam, quæ ducit foras muros ciui-  
 tatis ad Oratorium, in quo sancti  
 Carauni membra requiescunt. Cū *S. Carauni*  
 que cateruatim sequente grandi *Sacellum.*  
 multitudine ad memoratum locū  
 honorificè duceretur, sonantibus  
 signis per totam urbem, & populo *Et hic nođ*  
 excel,

*et priscam  
de oratione.*

XIV. Mi-  
raculam.

excelsa ad Deum voce proclamante, ut tantam sibi gratam deuotionem Dominus declararet, multa ibidem per beatum Liborium fieri signa concessit. Ex quibus vnum precipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua vitandæ prolixitatis causa, intermittentes. Puella, quæ ab exordio miserandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquam vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum sanctorum cinerum deportata, singulorum officia membrorum, cum integerrima sanitate suscepit; Sed quoniam breuis illa vestis, qua contractum prius corpusculum facile tegebatur, iam erectè stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur: citissimè fideles quique (nam in Ecclesia coram Clero & populo res gesta est) raptis foeminarum facitergulis eam conte-

contexere, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergo cum spiritali lætitia noctem illam transigentes, primo mane optatum iter arripuere.

## CAPVT XIIII.

*Parisijs dum res diuina peragitur, muta abortiu fœmina, simulq; surda & energumeno integrè sanatur.*

**A**PPROPINQUANTES VERÒ Parisiensi ciuitati, quam fluentis Sequanæ cinctam, *Etymologia noua Parisiorum.* Iulius Cæsar condidisse, & ob similitudinem insulæ maris, Ysius nominatæ, Parisius fertur appellasse: Simili modo ab Episcopo loci illius Ercanrado nomine, omniq; populo, vltra pontem stratum, super memoratum fluuium occurrente, suscepti, & in principalem eiusdem vrbis ecclesiam deducti sunt.

Erat

XV. Mi-  
raculum.

Erat autem Dies Dominica. Cumque Missarum ibidem solennia celebrarentur, deducebatur in medium foemina quaedam, de vicina eiusdem loci oriunda: quae cum poena grauissima nata, in eadem praeteritum vitae suae tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & surda, tertio insuper tormento subiacebat, quod videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hæc in conspectu omnium ad Missas circumstantium vehementer anxari coepit & sudare: postremò in pavementum ruit. Post celebrationem mysteriorum ad mansionem deportata est, & ad vesperum rursus in Ecclesiam delata. Ibi cum multis alijs pernoctabat. Statimque; ut albescente polo roseum auroræ iubar illuxit, lux magnæ misericordiæ Dei, effugatis ab eâ tenebrosis tortoribus, & auditûs illi & vocis facultatem condonauit. Obstupuere magnopere cuncti, qui aderant, videntes eam  
in v-

in vno momento ita immutatam,  
vt & vacua esset dæmone, quo ple-  
na erat; & plenum haberet mem-  
brorum officium, quo vacua fuerat.

## CAPVT XIX.

*Surdus mutusq; & audit, & loquitur. Parum  
religiosi flumine mersi, mox eripiuntur.*

**E**VNTIBVS autem illis iux-  
ta mōtem Martyrum, cum  
essent iam à dextero latere  
in signis monasterij Sancti Dionysij, S. Dionysii  
Monaste.  
occurrit ibidem seruulus quidam  
de familia eiusdem Martyris, quem  
& Sacerdotes & cuiuscunque gra-  
dus Clerici, nec non & plures Lai-  
ci, contestati sunt ab exordio nati-  
uitatis suæ auditûs pariter & loque-  
læ vsu penitus caruisse. Qui appro- XVI. Mir  
raculum.  
pinquans sacris pignoribus, vbi vi-  
dit plures è populo, pro sua quen-  
que facultate, in honorem S. Libo-  
rij, ad eius loculum iactare munu-  
F scula;

scula, & ipse quoque satis deuotè  
 aliquid de vestimentis proprijs il-  
 luc offerre nitebatur. Cuius exem-  
 plò adiutus intercessione, apertis  
 auribus, & soluto vinculo lingue, in  
 eâdem horâ DE I laudes canentem  
 populum audiuit, & ipse simul cum  
 gaudio decantauit. Interim festinã-  
 tes cum summâ alacritate iter suum  
 peragere, deuenierunt ad villam,  
*Gebalohâ,* quæ Gebaloha nominatur. Vbi  
 sicut antea multorum fides & deuo-  
 tio remunerata, sic etiam quorun-  
 dam contumacia digna est corre-  
 ptione castigata. Contigit namque  
 ibidem, vt fluuiolum quendam  
 transire deberent. Quò cum proxi-  
 marent, hi qui sanctum feretrum  
 portabant, quatuor, qui posteriora  
 eius tenebant cornua, recto trami-  
 te per vadum aquæ incedere vole-  
 bant. Totidem autem reliqui, prio-  
 rem eius partem gestantes in hu-  
 meris, pontem magis, per quem  
 transirent, quærere se velle asser-  
 bant,

stant, in tam præclaro sanctorum  
 obsequio calceamenta sua madefa-  
 cere dedignant. Qui cum ad pon-  
 tem quendam venissent, & venera-  
 bilem thesaurum secum portantes,  
 super eum transirent, repente ru-  
 pto sub pedibus eorum instrumen-  
 to lignorum, omnes illi, qui in va-  
 do vel pedes intingere aspernaban-  
 tur, ex alto cadentes, in profundo  
 flumine submersi sunt: meritis ta-  
 men Sanctorum artuum, quos fe-  
 rebant, illæsi euasere. Illud vero sa-  
 cratissimum feretrum ab ea parte,  
 quâ ab illis, antequam caderent, te-  
 nebatur, mirum dictu, nemine cõ-  
 tingente, in aëre pendeat immo-  
 bile, donec accurrere possent, qui il-  
 lud accipientes, ad vadum reue-  
 herent: atque ita demum,  
 coepto itinere perre-  
 xerunt.

XVII. Mis-  
 raculum.

O rem  
 mirant!

F 2 CA



*Dæmon obsessor à muliere quadam pellitur.*

**E**X quo loco non longum i-  
ter emensi, consuetum vir-  
tutis DEI testimonium ad  
comprobanda merita electi sui vi-  
dere meruerunt. Idipsum tamen,  
quod factum est, quo appelletur no-  
mine, non satis occurrit. Euentum  
fuisse dixerim? Sed non solet res ta-  
lis casu euenire. Miraculum nomi-  
nem? Sed id non magnoperè quis-  
quam eorum admirabatur. Quis  
enim velut nouum miretur, quod  
sepius intuetur? Mulier à demonio  
liberata est. Magna DEI pietas, ma-  
gnū Confessoris eius meritum, rem  
alibi raram, in illo itinere fecit vfi-  
tatam esse. Quæ tamen mulier tunc  
à valdè diuturna vexatione saluata  
(nam quindecim annis eâ labora-  
uerat) haud quaquam ingrata suo  
extitit saluatori. Cum enim esset de  
castel-

XI'X. Mi.  
raculum.

castello quod Bauaca nominatur, nō infimis orta natalibus, relictâ patriâ & parentibus, DEO & S. LIBORIO se, dum viueret, seruituram deuouit. Secutaque sancta pignora vsque ad locum, in quo hæctenus requiescunt, in eorum seruitio reliquum vitæ suæ spatium transegit. Circa hæc eadem loca & alia plurima sunt in via ostensa miracula: sed nobis, festinantes illos ad patriam stylo prosequentibus, non vacat in singulis immorari.

*Grate mentis imitanda virtus.*

*Miracula plurima hic omissa.*

## CAPVT XXI.

*Gallorum sacras Reliquias, Rheno dirimente, linquentium mæror ingens: & easdem acceptantium VVestphalorum par iubilus.*

**C**VM ad Rhenum fluuium peruenissent, erant in sancto illo comitatu prouinciarum occidentalium populi infinitæ multitudinis: qui de longinquis locis illuc secuti, iam necessa-

*Saxones di-  
cit, qui nunc  
westphali  
appellatur.*

*Vide hic  
rursus an-  
tiquam de-  
uotionem.*

riò reuerti ad propria debuerunt. Occurrit verò non minor mortali-  
um numerus ex nationibus, ori-  
entalem eiusdem fluminis ripam,  
incolentibus, & maximè Saxones  
nostri, quorum confinia non longè  
ab amne memorato distant. Ipsi e-  
nim nuper ad fidem vocati, auditâ  
tantorum famâ signorum, grega-  
tim ex suis vndique locis eò conflu-  
xere. Stabant igitur in vtroque li-  
tore turbæ innumerabiles, diuerso  
nimis affectu sese inuicem contem-  
plantes. Siquidem suscepturis pre-  
ciosum illum thesaurum quantum  
gratulationis & gaudij, dimissuris  
verò quantum moeroris & gemitus  
hora illa attulerit, quis vnquam ex-  
primere poterit? Denique statim vt  
sancti corporis baiuli nauem intro-  
ierunt, vniuersa plebs, quæ diutiùs  
sequi non valebat, vnanimiter se-  
se in terram prosterbens, cum in-  
genti gemitu & intenta supplica-  
tione B. Liborij se patrocinio com-  
menda-

mendabat; testes quodammodo affectus sui largos lachrymarum imbres effundens. Pari modo & hi, qui in citeriore litore expectabant, terræ aduoluti, sacra pignora cum omni, quo poterant, honore suscipientes, & gratias agentes Deo, lætæ cum laudibus deduxere.

## CAPVT XXII.

*Paderbornam sacra cum pignoribus Legati aduentans: Qua sex illic patratis antè miraculis, in Ecclesia ibidem Maiore religiosè conduntur.*

**I**GITUR ingressi Saxoniam, præ nimiam sibi obuiante turbam, vix gradum mouere poterant. Totis tamen nisibus iter accelerantes, tandem die tertio, id est, quinto Kalendarum Iuniarum, quo tunc sacra Pentecostes solennitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam peruenerunt. A qua, cum adhuc tribus distarent

F 4

milli-

millibus, iuxta fluuium quendam,  
*Hedraha.* Hedraha vocatum, ob immensam  
 multitudinem, quæ vsque ad me-  
 moratum locum sequi non pote-  
 rat, in medio campo Missarum ce-  
 lebrauere solennia Quæ antequam  
 finirentur, in eodem loco quinque  
 pariter homines à varijs debilitati-  
 bus liberati, causam immensæ ad-  
 mirationis & lætitiæ, tantam DEI  
 virtutem videnti populo præbuere.  
 Insuper eadem horâ in sæpe-  
 memoratâ Paderbornensis Mona-  
 sterij Ecclesiâ, cui talis gloriæ de-  
 cûs per tanta terrarum spatia affe-  
 rebatur, contigit quoddam clarum  
 valde miraculum, velut insigni  
 præconio beati Liborij aduentum  
 annuncians. Nam puer quidam de  
 eadem oriundus parochiâ, qui à die  
 natiuitatis suæ surdus erat & mu-  
 tus, ibidem auditum pariter perci-  
 pere meruit & loquelam. Agebat  
 hoc nimirum diuina dispensatio,  
 vt in die Aduentûs ipsius tot signa-  
 coru.

XIX. Mi-  
 raculum.

Quinq; mor-  
 bidi curati.

Ecclesia Pa-  
 derbornen-  
 sis olim Mo-  
 nasterium.

XXIV. Mi-  
 raculum.

coruscantia indicio essent, eundem locum ad hoc fuisse cælitus electum, vt tanti Confessoris corpore illustraretur. Quod cum innumeris vndique stipatum turbis, Monasterio paulatim appropinquare cœpisset, Episcopus quidem nequibat occurrere (nam apud Palatium tunc morabatur) Sed tamen Clerus omnis, cum vniuersis Ecclesiastici cultûs ornamentis, processit obuiam, sequente populo, qui vel de longinquo venerat, vel ex eodem oppido, & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solemniam in tanta festiuitate fuerat congregatus. Cumque sibi non paruo ab oppido interuallo vterque populus, sequentium videlicet venerabile Corpus, atque excipientium, obuiasset: hi qui occurrerunt, ter cuncti simul solo prostrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cumque Clerus in hymnis & confessionibus

DEVM benediceret, & spiritua-  
 lium carminum melodiam, san-  
 ctorum laudi congruam, concine-  
 ret, *Kyrie elei- son* inge-  
 minaret, cum ineffabili iubilo ere-  
 ctis ad DEVM mentibus singulo-  
 rum, nihil eius laude dulcius vide-  
 batur: ita vt in huius vitæ exilio si-  
 militudinem quandam beatitudi-  
 nis, quæ in patria speratur, præ-  
 gustasse viderentur, de qua dicitur:  
*Psal. 83. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine: in  
 sacula seculorum laudabunt te.* Quem illi-  
 lis tantum diuinæ laudis amorem,  
 eius meritis credimus inspiratum,  
 in cuius tunc exequiarum hono-  
 rem fuerant congregati; quoniam  
 & ipsius sola in coelis beatitudo,  
 vita, & gloria, non nisi laus Dei est,  
 in cuius charitate perfecta ad tan-  
 tum ipse sanctitatis culmen ascen-  
 dit. Itaque cum sensim magis ac  
 magis in altum sublatae populi vo-  
 ces attollerentur, etiam circum-  
 quaque gaudentium, psallentium,  
 DEO,

DEO gratias agentium, & iubilantium illi, in voce exultationis per totam viciniam sonitus intonerent, cum tali honore sacratissimum Corpus in Ecclesiam delatum, & in loco in quo hactenus quiescit collocatum est. Vbi quantis postmodum miraculis effulserit, quanta sanitatum dona præstiterit, alibi dicenda reseruamus, hinc præsentis libello terminum imponentes.

*Paderbor-  
nensis eccle-  
siae Corpus  
S. Libori  
infertur.*

*Præstare po-  
steros opora-  
tuit, quod  
morie præ-  
uentus au-  
tor non po-  
tuit.*

## CAPVT XXIII

*Totius operis Epilogus.*

**H**Æc denique secundum tuum, Præsul venerande, præceptum, nostrumque propositum de his, quæ in Translatione eius gesta sunt, non quidem ut volumus, & tantæ rei conueniebat; sed ut potuimus, & scientia suppetebat, describere curauimus: non magnipendentes in sermonum



monum qualitate reprehendi, dum tantum integræ veritatis fide feruatâ, diuinæ operationis insignia silentio regi nequaquam permetteremus. Nostri enim propositi necessitas admonet, vt in huiusmodi operibus nobis iniunctis id omnimodis elaboremus, vt si nos imperitia facit ineloquentes, deuotio tamen ostendat obedientes. Nec infructuoso nos sudore laborasse confidimus, si alicuius lectoris, hæc in manus sumere dignantis, vel cuiuscunque audientis animus in laudem largitoris tantarum virtutum fuerit excitatus. Meritò namq; laudes illi & grates toto corde referimus, qui nos inter tot ærumnas sæculi laborantes, tantorum Patronorū suffragijs tueri dignatur. Qui per visibiles corporum curationes, ad internā nos animarum salutem quærendā prouocantes, spē tribuunt per eorum exempla, & intercessionem perueniēdi illuc ex hac valle

valle lachrymarum, vbi *absterget Deus Apoc. 7.17.*  
*omnem lachrymā ab oculis Sanctorum.* Quò  
 qui iam S. suum LIBORIVM foelici-  
 ter perduxit, nos quoque licet indi-  
 gnos, eius interuentu venire con-  
 cedat: qui in Trinitate perfecta vnus  
 & verus viuit & gloriatur DEVS  
 per infinita sæcula

Amen.

*Finis Vita & Translationis Sancti  
 Libori.*



SEQVITVR EPISTOLA DECANI ET  
 Capituli Ecclesiæ Cenomanensis ad Præ-  
 positum, Decanum & Capit. maioris Ec-  
 clesiæ Paderbornensis, de Sanctis Liborio &  
 Iuliano Episcopis præfatæ Cenomanensis  
 Ecclesiæ.

RE-

# REVERENDIS IN CHRISTO DOMINIS SVIS

CHARISSIMIS FRATRIBVS ET AMI-  
cis Dei gratiâ Præposito & Decano & Capi-  
tulo maioris Ecclesiæ Paderbornensis: N. De-  
canus indignus & Capitulum Cenoman-  
Salutem in Domino & sinceram cum  
deuotis orationibus & obse-  
quijs charitatem.



VMMO Patri Deo  
& eius vnigenito  
cum Spiritu princi-  
pali honor & glo-  
ria & gratiarum a-  
ctio pleniùs refera-

*Joan. 1. 14.*

tur, cuius vnigenitus plenus gratiæ  
& veritatis apparuit matri nostræ  
Ecclesiæ primitiux: & de plenu-  
dine eius, quam fons vitæ in pluri-  
mas deriuauit areolas, qui fuera-  
mus priùs steriles, fœcundati simul  
nunc tam loco quàm animo fideles  
accepimus vniuersi. Hoc certè na-  
scentis Ecclesiæ rudimenta posce-

*Luc. 13. 19.*

bant, vt granum sinapis in arborem  
magnam surgeret: & fermentum

mulie-

mulieris in tribus farinae satis ab- *Mat. 13. 33.*  
 fconditum nouam conspersionem  
 altiùs eleuaret. Sic granum frumen- *Isa. 12. 24.*  
 ti mortuum foenerauit. Sic Ioseph *Ge. 47. 24.*  
 Ægyptum nobili Israëlitarum se-  
 mine augmentauit. Quando Sapiē-  
 tia Dei humanitùs corporata radifi- *Eccl. 24. 16.*  
 cauit in populo honorificato, & in  
 electis populis Christianis mittens  
 radices, Vincam suam nouis agri- *Marc. 12. 9.*  
 colis tradidit, & non iam labruscas  
 à parricidis, sed botros Cypri à fide-  
 libus accepit custodibus, & ex eis  
 bibit vinum dignum dilecto, labijs  
 & dentibus ruminandum. Ex tunc  
 verè vineæ florentes dederunt o- *Cant. 2. 13.*  
 dorem suum. Sed quæ est ipsa spe-  
 ciosa inter alias spirans ad nos odo-  
 rem suauitatis? ecce odor eius sicut *Gen. 27. 27.*  
 odor agri pleni quem benedixit  
 Dominus. Quænam, inquam, est  
 ista tam prudens inter filias, suo  
 tam humilis, nostro tam sublimis  
 iudicio? Quomodo tam prudenter  
 primordia sua meminuit & singula  
 recolit

recolit incrementa, etiam quando  
 erat paruula & vbera nondum ha-  
 bens; & cum stillarent montes dul-  
 cedinem & colles fluerēt lac & mel,  
 tam diu lactabatur, donec vidit ste-  
 rilem habitare in domo matrem fi-  
 liorum lætantem. Sic charissima  
 soror nostra à primis exorsa cuna-  
 bulis, ordine progreditur, & primò  
 Vnitas cordis & animæ in multitu-  
 dine credentium & eorum omniū  
 communitas recensetur. Quando  
 sub Apostolico duodenario, septe-  
 nario Leuitico ministrante, illa pri-  
 or Christiana fraternitas linguâ &  
 manu alternis panibus pascebatur.  
 Cuius siquidem de medio charita-  
 tis fulgur egrediens, & scintille qua-  
 si æris candentis, simili Zelo pluri-  
 mas Ecclesias accenderunt: & sic est  
 inter eas insolubilis germanitas cō-  
 firmata, vt vnanimes passionum  
 & consolationum participes per-  
 manerent, siue locali confinio con-  
 tiguae, siue spaciosis terrarum tra-  
 ctibus

tibus separata. Sic prudentissima  
 soror nostra Paderbornensis Eccle-  
 sia stylo altiloquo & continuato  
 sermone matris suæ primitiuæ Ec-  
 clesie statum feliciorum commemo-  
 rat, vt sororem commoneat, vt  
 corda Patrum in filios conuertat:  
 vt, quod consuevit facere, ipsa do-  
 ceat, quasi vtens voce & vice veræ  
 lucis, quæ illuminat omnem homi-  
 nem, dicat, Ignem veni mittere in  
 terram, & quid volo nisi vt ardeat?  
 Est reuera sororis nostræ humilitas  
 multis laudib<sup>9</sup> prosequenda, quæ su-  
 os ita dissimulat titulos, ita à se ex-  
 celsa abstulit, q̄ præconia sua alie-  
 nis ascribat; & aliena incōmoda suis  
 excusat commodis & obnubit, vt il-  
 lud sibi competeret, Laudet te alie-  
 nus & non os tuum; & alterum nō  
 deesset, Iustifica magnum similiter  
 & pusillum. Vos reuera, Patres Pa-  
 derbornenses, magni estis vno & eo-  
 dem pignore, nos pusilli. Vos ho-  
 nore nostro diuinitas dignata est,

Ioan. 1. 9.

Luc. 12. 4.

Prou. 27. 2.

Eccli. 5. 18.

 Aurea pla-  
 ne Cenoma-  
 nensium ad  
 Paderbor-  
 nenses A-  
 postrophe.

G

quo

quo forsitan fuimus nos indigni. Nostro vos estis deaurati thesauro; Nos verò transmigrante ad vos glorioso Confessore nostro & Episcopo LIBORIO quasi luce aureâ sumus forsitan obscurati. Veruntamen per diuinam gratiam nostræ Cenomanensi Ecclesiæ id solaminis est relictum, vt inclytum Confessorem Liborium & nostrum prædicare semper debeamus, & vestrū. In nobis coepit, sed vos ipse perfecit. Nos sanctificauit in terris, vobis celestis iam præsidet. Nobis ad tempus est datus, Vobis sine tempore destinatus. Nos corporali præsentia destituit, sed vtrisque nunquam deerit dono beneficij spiritualis. Quid igitur faciemus sorori nostræ die isto quando alloquenda est? Summum Patrē, à quo coepimus, cum timore & reuerentiâ filiali pariter collaudemus in beati Liborij meritis gloriosis, cuius sacratissimū Corpus Cenom. Ecclesiâ cōcedente

*Cant. 8.8.*

*Charitatis  
effectus ho-  
cieq; optan-  
dus.*

te

te postea quam Paderbornensis soror  
 nostra charissima sibi meruit, spiri- *Reliquiarū*  
 talis effecta est, & Saxonica circa id *virtus.*  
 locorum durities emollita. Hyems  
 infidelitatis transijt: imber perse-  
 cutionis abiit & recessit: flores vir-  
 tutum & miraculorum apparue-  
 runt, & vox turturis audita est in  
 terra illa: maximè quando virtus  
 mirifica eximij Confessoris astru- *Marc. 16. 20*  
 xit, quicquid fides Christiani dog-  
 matis allegavit. Vobis igitur, Pader-  
 bornenses, honor iste præcipuus &  
 peculiaris gloria consecratur, qui  
 Patrem nostrum tanto celebratis  
 honore, studio colitis, affectu inti-  
 mo complectimini, vt dicatis: In- *Cant. 3. 4.*  
 ueni quem desiderabat anima mea,  
 tenui illum, nec dimittam. Cedit  
 etiam ad cumulum laudis vestræ,  
 quòd pro pignore tanto, cum Vo-  
 bis plurimas debeamus humiles  
 gratias, nobis soluitis affectum, pro-  
 pensius exhibetis & offertis obse-  
 quium; nec verbis ostendi, sed rei



executione flagitatis aliquando ex-  
 hiberi. Epistolaris continentia de-  
 inceps, quod nos valde audire dele-  
 ctat, annexuit, prosperè permane-  
 re, nec fuisse translata sedem ve-  
 stræ Cathedralis Ecclesiæ, de quo  
 rumor leuis nobis quæstionem mo-  
 uerat & conquestum. Quo iam ve-  
 strâ assertionem destructo, auditui nos-  
 tro dedistis gaudium & lætitiã in  
 laudibus Saluatoris. Ad extremum  
 vero quasi fimbrijs aureis vestræ e-  
 pistolæ iam ponendis, acceptabiles  
 & honestæ petitiones vestræ quòd  
 sint, apud Dominum innotescunt.  
 Nihil enim aliud, quàm quod ani-  
 marum salutem, & honori Diuino in-  
 feruiat, postulant: intendunt, vt  
 feruor mutue charitatis, de igne S.  
 Spiritus olim accensus, quotidie  
 conualescat, flagret ardentius, & i-  
 gnescat. Vt seruantes mutuò vnita-  
 tem Spiritus in vinculo pacis & fra-  
 ternæ dilectionis, vnã sanctam  
 communionem, pro ut fieri pote-  
 rit.

Suprà p.  
 70.

Cenomanē-  
 ses & Pa-  
 derbornen-  
 ses quanto  
 iuuicent

rit.

rit, & Rempublicam habeamus, consilij, auxiliij, substantiæ, voluntatis. Insuper vt epistolam vestram, cui sicut magistræ & Dominæ hæc nostra humilis ancillatur, & Librū vestrum de Translatione eximij LIBORII, in nostris memoriter reponamus: Tertiò & vltimò instantiùs & obnixiùs supplicatis, vt natalitiū diem magnifici Patris nostri Liborij & Patroni solenni cantu & cultu celebriter illustremus. Quibus siquidem postulatis gratissimo & libentissimo concurrentes assensu, gratias etiam vobis subiicimus pleniores, deuotissimo vobis animo respondentes, quod aquæ nullæ nostram erga vos poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam, quam Deus verus stabiliat supra petram. Vestram verò Epistolam vel sanctissimi Libellum Liborij nulla delebit obliuio, nec oblitterabit antiquitas; sed in domo Domini, & apud nostros posteros

*amoris nexu sint iuncti.*

*Autographum de Translatione S. Liborii Cenomanensibus transmissum. Festum eius Diui quo cantu cultuque celebrandum.*

*Cant. 3. 7.*

permanebunt. Et iustus Liborius, qui apud nos floruit, Domino largiente cultu ampliore florebit & multiplicabitur in domo Domini, beatissimi Apostoli Iuliani. Cui scilicet quartus gloriosus successit Liborius, duobus alijs viris quoque Apostolicis intermedijs, Thurbio archipresb. & Pauatio archidiacono, Cenomanensi Cathedræ per ordinem præstitutis. Hic enim Iulianus primus Cenomanorum Apostolus, velut Abraham Patriarcha, Pater sequentium Præsulum, & Cenomanensium gentium in Christo, quadam functus autoritate Apostolicâ vsq; in hodiernum diem extitit & existit missus (comitantibus illis) à Beato Clemente Petri Apostoli successore.

Vnde fraternitati vestræ humiliter supplicat Cenomanensis Ecclesia, soror vestra, quatenus Librum de Vita ipsius eleganter exaratum, reuerenter & memoriter apud vos in

*Series An-*  
*tistitum Ce-*  
*nomanen-*  
*sium,*

*S. Iulianus*  
*1. Cenom.*  
*Apostolus,*  
*à. D. Cle-*  
*mente S.*  
*Petri suc-*  
*cessore mis-*  
*sus,*

*Liber de e-*  
*ius vita,*

in perpetuum habeatis; & Aposto-  
 li nostri beatissimi Iuliani natalitiū  
 diem sexto Calendas Februarij so-  
 lenniter celebretis. Ut qui clarus  
 signis & miraculis regno Franciæ  
 suffragatur, suæ quodammodo Pa-  
 derbornensi Ecclesiæ & populis  
 Saxoniae (sicut per ipsum & pro-  
 pter ipsum facere magna potens est  
 Dominus) abundantius suffragetur.  
 Nosque & vos, suffulti tantis Inter-  
 cessoribus vtrique Ecclesiæ combi-  
 natis, diuino munere geminato eo-  
 rum suffragio, vtramque stolam  
 possimus facilius à Domino conse-  
 qui in tempore retributionis, A-  
 men. Valete in Domino, & mane-  
 te in dilectione nostrâ. Data anno  
 Domini, Millesimo ducentesi-  
 mo quinto, pridie Kal.

Octobris.

Sigil-

*Festū illius  
 quando  
 quoritus  
 celebra-  
 dum.*


104 EP. CEN. AD PADERB.


*Sigillum huius Epistola est de cerâ viridi,  
concauum, in quo sedens Episcopus in si-  
nistra tenet librum, & dexteram leua-  
uit benedicens: in chordula quadrupla  
rubra; in quo scriptum est:*  
SIGILLVM CAPITVLI CENO-  
MANENSIS,




*Innumeror Bibliotheca  
S. Capucinatorum  
paderborna*


~
















74





107



